

Αρχιεπιστολὸς Ἀθανάσιος Ἄνω Δομινῆ
1549 Constat 7 fe

Σββ. 49.



IN LIBRVM
IUDICVM ET RVTH
COMMENTARII.

*

IOANNE BRENTIO
AVTORE.

HALE SVEVORVM EX
Officina Petri Brubachij, Anno
M. D. XLIIII.

Deficiet me tempus commemorantem de Gedeone, de Barac &
Sampſone & Hiephithaë, nec non Dauid & Samuele, qui per
FIDEM expugnaverunt regna &c. Heb. 11.

CLARISSIMO VI-

RO D. BERNARDO GOLERO E

QVITI GERMANO PATRONO

suo, Ioannes Brentius

S. D.



CRIPSI commentarios, breues quidem illos & rudes, sed quod maxime in Ecclesiastico interprete requiritur, pios, in Librum Iudicum & Ruth, quos tuo nomini, Heros amplissime, dedicare uolui. Vtrunq; inepte, his qui alienam operam magis reprehendere quam imitari sciunt, fecisse uidebor: alterum, quod historiae, quae in his libris continentur, cuius Lectori per se ita perspicue sint, ut nulla egeant explicatione, alterum quod hoc scripti genus non magnopere ad te pertinere uideatur. Sed ut uerum sit, narrationem rerum gestarum in his libellis intellectu haud difficilem esse, nisi si quam interdum difficultatem peregrina sermone phrasia afferat. Utilitatem tamen huius narrationis perspicere, fortassis ut sunt in Ecclesia, quemadmodum Paulus ait, diuisiones donorum, non est cuiusuis: Alij in sacris historijs legendis aut explicandis, ad ciuiles tantum mores formandos spectant, alij solas allegorias inquirunt. Sed sacra scriptura, ac potissimum historiae, in hoc traditae sunt, ut ex ipsis, nunc potentia, nunc seueritas, nunc clementia Domini Dei nostri palam reueletur, quo alij ad timorem Dei, & fidem ducantur, alij in fide confirmantur & conseruentur. Hec igitur in historijs ostendere & explicare, profecto, si non est singularis industriae, alicuius tamen laboris & diligentiae est. Accedit huc, quod quaedam res gestae in sacris historijs ita commemorantur, ut interim scriptura in eo loco non iudicet, recte ne iuxta uerbum Domini, an secus gestae sint, sed relinquat Lectori iudicium ex alijs locis inquirendum. Itaque demonstrare quid de his uere iudicandum & sentiendum, quid item imitandum, quid fugiendum sit, ut Lectori iucundum, ita scriptori, nisi diuinarum rerum expertissimo, difficillimum est. Iam, si nihil aliud, certe meo fungar officio, quod cum omnium piorum hominum intersit nomen Domini ad testificandam animi sui gratitudinem, quoquo modo commendare, ego qualicumque maximorum miraculorum, quae in libro Iudicum describuntur explicatione, maiestatem nominis Dei, pro mea mediocritate utcumque illustrem, & hanc meam operam, ceu sacrificium *ευχαριστιαν* in Ecclesia Domini offeram. Ceterum qui hoc scripti genus ad te, uir amplissime, nihil pertinere sentiunt, hi, quid ego benefactori debeam, prorsus non intelligunt, & de tua pietate

& ij

male iudicant. Nam, ut maxime tua nihil referret scire, quis fuerit successus, que fortuna Reipub. Israelitice recens instituta, id quod in hoc ludicum libro tractatur, mea tamen plurimum refert, quocumque possum argumento, gratum erga te animum meum declarare. Et sacra, ea que ad Rempub. civilem administrandam cognitu imprimis utilia interpretor. Ea autem est pietas tua, ut favore Dei, nullis potentum minis, nullis persecutionum periculis, a confessione Christi & Euangelij eius haftenus impelli potueris, & is est ardor recte gubernandae Sparte tuae, quam nactus es, ut hoc unum maxime omnium agas, quo in tua Reipub. & uera Christianismi religio doceatur, & publica honestas ac tranquillitas conseruetur. Quare optime spero, hoc meum munusculum tanto tibi gratius fore, quanto ardentius uere pietatis ac religionis studia amplecteris. Vale in Christo Iesu Domino nostro. Ex Hala Sueuorum septimo. Nouembris. Anno 1534.



INDEX EORVM

QVÆ IN COMMENTARIIS LIBRI ludicum & Ruth continentur.

A

A BIECTOS Deus respicit	14	Aduersarius nihil potest, nisi aduente domino	7
Abimelech amicitia cum suis ciuibus uana fuit	27	Aduersarij dū potētissimi uidentur uincuntur a filiis	12
Abimelech interitus	39	Aduersarij impij maiorem speciem iusticie habent	30
Abimelech occidit 70. fratres	36	quandoq; quam ambulātes in uocatione dei	30
Abimelech rex tragicus	39	Aduersarij populi dei suis ipsorū gladijs percūtuntur	30
Ablatis à nobis rebus incundis, non indignemur	28	Aduersarij trepidant ad conspectum eorum qui deo	28
Ab omni specie mali cauendum	73	mino fidunt	12
Abrogatio impiorum sacrorum	24	Aduersarios populi Dei, Deus mirabiliter ulciscitur	21
Abroget impia sacra ecclesiastes	24	Aduersa quomodo uitemus	21 (tur 28.29)
Abroget impia sacra magistratus	ibidem	Aduersa sunt uia ad salutem	68
Abroget impia sacra priuatus quisq;	ibidem	Adulterium uxoris Leuie & uiolentia quam illi	59
Absolutioni quomodo peccator credat	11	ciues Gibeæ intulerunt	59
Abundantia & rerum uilitas donum Dei est	68	Adulterij poena	60
Accepti sunt homines dum usui sunt	41	Adulteri & adulteræ conspiratio non est firma	57
Achsan filia Caleb	2	Adultera quare marito reconcilietur	60
Adamo dormienti creatur & adducitur uxor	73	Adulteræ conditiones	ibidem
Adolescentie instituendæ abusus	48	Aenigma Samsonis	48
Adonibezek tyrannus	2	Aenigma:um proponendorum ratio	ibidem
		Affligit	

I N D E X.

Affligit Deus populum suum non sine ratione	8	Beniamitis superstitiibus queruntur uxores	65
Affligi iuste aliud est, aliud affligi iniuste	69	Boni uiri platano aut nuci conferuntur	42
Afflicti quid de Deo sentiant	21	Boas prudentia	73
Afflicti unde consolationem queramus	71	Bona opera	34
Afflicti uerbum dei queramus	69	Bonos uirorum fortuna	48
Afflictis clamantibus ad dominum miseretur deus	7	C	
Afflictio non accidit ut satisfaciamus pro peccatis	8	Caleb dehortatus est populum a seditione	2
Afflictio non semper ob peccata infligitur	8	Calamitose addere calamitate atrox crimen est	54
Afflictiones alienae iuxta personas sunt consideranda		Calamitatis effugiendae tutissimum asylum	21
Afflictiones aliorum non irrideamus	69 (de 69)	Cananei cur non omnes deleti sunt	3
Afflictiones et gemitus afflictionum sunt maxime respectus coram Deo	6	Canaan quare saepe famem passa sit	67
Agnitio peccati	4.52	Captiuus Satanae quomodo liberetur	11
Ale domini quae sunt	70	Carmen triumphale pro uictoria	13.70
Ale domini quando expandantur	70	Carnificis officium	31
Alexandri dictum, neque terram duas soles, neque regnum duos reges ferre posse	35	Causa iniqua respiscamus	64
Altare cur Gideon edificarit	24	Causa iniusta fugienda est respicientia	63
Altaria impia quomodo abroganda	ibidem	Causa nulla ex fortuna et euentu iudicanda	38
Ambulans in uocatione dei non pudefit	12	Causa pia confide misericordiae dei non iusticiae tuae	
Ambulanti in uocatione diuina Deus adest	51	Christus petra de qua emicat ignis S. sancti	22 (69)
Ambulanti in uocatione dei resistentis poena	19	Christi uictoria	30
Ambulantem in uocatione diuina deus adiuuat	51	Christi beneficia	27
Ambulantem in uocatione dei non adiuuantis poena		Christiani ueri Monachi per Nazareos adumbrati	
Amici multi in fortuna prospera, in aduersa pauci	19 (na 19)	Christianorum nostri temporis ingratitude	14 (ti 46)
Amicitia impiorum non constat	30	Christianos non taceat nouacula quomodo intelligendum	46
Anabaptistae neminem salutantes	37	Clamor quis uerus sit	10, Clementia dei 40, 57, 24
Ananiae et Saphirae supplicium	70	Clemens si deus respicientia	58
Animus in afflictionibus pacificatur uerbo et promissione dei	8	Clamantes in fide ad dominum exaudiuntur	7
Animus humano nihil imbecillius	52 (missione dei 69)	Commoda uulgo in perniciem uertuntur	3
Apologus de arboribus	36	Concubinae quales fuerint olim	34, 60
Apologorum genera multa	36	Concubinatus ratio	34
Aquae quid significant	28	Coniugium res sancta	10
Armorum usus non negligendus	6	Coniugium amicitiae augendae occasio	47
Artifici auferens instrumentum tantum peccatum, quantum is qui regem regno suo priuat	69	Coniugium non est ineundum inexplorata causa	73
Astarath seruire quid sit	5	Coniugium non est clam contrahendum	73
Arx munitissima domus	21	Coniugij copulator Deus	70
Astorgi nesciunt orare pater noster	45	Coniugia principum saepe sunt occasio bellorum	47
Aurum omnia uincit	52	Coniuges possunt habere spiritum sanctum	10
Auxilium ambulanti in uocatione Dei praestitum	19	Coniuges quomodo patienter possint ferre onera coniugij	
Auxilium Domini tunc proxime adest, cum res sunt deploratissimae	21	Consilium serui melius est saepe consilio domini	61 (70)
B			
Baal	24	Conscientia afflictata	23
Baal Berith	38	Consolationis exemplum	7
Baal cultus	24	Conspiraciones hodiernorum sacrificulorum et principum contra Euangelion, non constabunt	37
Baal sacra cur Gentes et Iudaei instituerant	24	Conspiraciones impiorum contra deum et uerbum	
Barak quomodo certus fuerit uocationis suae	11	Consulere Dominum	58 (eius uanae sunt 37)
Bellum Domini contra Gentes	18	Contemptus dei ex doctrinae neglectu uenit	9
Benefaciens proximo benedicitur a domino	71	Contemptum dei sequitur idololatria	56
Beneficia Dei arguunt magnitudinem peccati	21	Contemptum ministrorum sequitur contemptus dei	56
Benignitatis exemplum	30	Contempti in hoc mundo respiciuntur a deo	41
Beniamitae caduntur	64	Contractibus ciuilibus uiro bono licet uti	73
		Credenti pedum pastoris gladius est	10
		Credenti si pes murus est	ibidem
		Credenti simul omnia peccata remittuntur	7
		Credentes in Christum uincunt per uerbum Euangelij omnia aduersa	30
		Credentes in Iesum Christum toti sancti sunt	7
		Crudelitas fratrum in fratres	36
		Cui fortuna fauet sponsam abducit	73

& iij

I N D E X.

Cultus Baaliticus restitutus in Israel	34	Dominus quō ab Israelitis interrogatus f. erit	2
Cultus Deo gratissimus	13	Dominus quando apparere dicatur	25
Cultus falsus prosperam fortunam habet	34	Domino inconsulto nihil agendum	2
Cultuum nouorum institutores	33	Donorum dei abusus	530 3
Curiositas Manoah	46	E	
Cusan Rishaim primus hostis Israelitarum in terra Canaan		Ecclesie persecutores turpiter intereunt	9
D		Ecclesiastes abroget impia sacra, & quomodo	24
Dan & Bersaba		Eglon rex Moabitarum afflixit Israel	8
Danite ab Amorreis afflicti		Ehud egregium & prudens factum	9
Danite amittunt sortem suam		Ehud saluator Israelis	8
Danite iniuste spoliauerunt Micham		Encomium ante uictoriam non est canendum	38
Danite impie consuluerunt Dominum		ibid. Ephod 32. 56 Ephraimita ignaui	44
Debora marito propheta		ibidem Euangelion predicandum inuitis etiam omnibus	
Deus aduersariorum corda in manu sua habet		21 Euangelion ros dicitur 27 (aduersarijs 25	
Deus à Romanis Iuppiter dictus		12 Euangelij prædicatio	40
Deus daturus tranquillitatem, aufert sanitatem, diuitias &c.		24 Euangelio quid nobis promittatur	31
Deus est punitor peccatorum, non auhor		Ex indigētia nostra discamus egenis subuenire	60
Deus genibus cognitus		F	
Deus mirabili clementia abiectos euehit		Fabula de Christophoro 35	Fabula de Georgio 36
Deus è molarum dat aquam		2 Fabula de Tondalo	ibid.
Deus non solum magna, sed etiā parua, respicit	69	74 Fabularum genus duplex	36
Deus omnibus, tam magnis quam paruis inuocari		51 Facies dei 23 Facies dei duplex	23
Deus operatur contrario mō rationi 25 (dus est 69		Faciem dei uidere quid	23
Deus operatur instrumentis, non conuenientibus		Faciem dei iratam uidere quid	ibidem
Deus pœnitentia mouetur 40 (rationi 28		Faciem dei propitiam uidere	24
Deus per paucos tuare potest		Fœdera impiorum uana	34
Deus primum affligit suos		Fœlicitas huius seculi non durat	44
Deus præstat promissa		Fœlicitates huius mūdi pie & iuste cōsequamur	44
Deus recipit clamantes ad se & pœnitentes	40	Fœlix rerū euentus non arguit equitatē causæ	62
Dei esse dicitur, quicquid magnum excellens est	6	Fides uititur bonis dei crea uis	2
Dei facies 23 Dei facies duplex	23	Fidei seruandæ exemplum 73 Fidei efficacia	13
Dei mina seriæ 5 Dei nomen		Flagitia impunita sequuntur maxima mala	59
Dei potentia, clementia &c. 13 Dei uisio	13	Formidulosi ab exercitu reijciendi	28
Deo Optimo Maximo, sub nomine Iouis Romani sacrificarunt		Fortuna aduersa uia est ad fœlicitatem	68
Derisor ambulans in uocatione Dei opprimitur	31	Fortuna prospera existens e gratias agamus	44
Derisor impedit opus Dei	31	Fortune uicissitudines uariæ	ibidem
Derisorū pœna 31 Diligamus deū, & quō 68		Fur esse nolens, caueat à specie furti	73
Diligentibus deum omnia sunt adiumento	68	G	
Dimittere dominum deum patriarcharū quid sit	5	Gasa urbs 57 Gaudio meminerimus luctus	66
Dissentionibus qui neutri parti adheret pro hoste iudicatur	56	Gentes ad Christum etiam pertinent	69
Diuerſi ad hospicia amicorum bonum est	61	Gentes dei cognitionem habuerunt	2
Diuites impij intrant ut uulpes, regnāt ut leones, moriuntur ut canes	35	Gentes habent cognitionem legis naturalis & iuræ	
Doctrina alia securis, alia territis in conscientia conuenit	40	Gentium timor propter Israelitas 15 (sticie 2	
Doctrina uetus non opus habet nouis miraculis	22	Gideon cur signum petat	22 28
Dolus malus nullū habet successum fœlicem	48	Gideon honeste recusauit regnum	32
Dolores actæ nullam habent benedictionem	48	Gideon per Ephod idololatriam instituit	33
Dominatio unius aut multorum	25	Gideonis fortitudo 25 Gideonis historia	21
		Gideonis humilitas 12 Gideonis prudentia	27
		Gideonis timor ex uisione angeli	23
		Gratia dei uaria est	70
		Gratia hominum quomodo ineunda	ibidem
		Gratiarum actio pro uictoria	13
		H	
		Heber	

I N D E X

Heber Cinzeus	12	Herr gots Vucin	37	Kiriathsepher urbs Caleb data	8
Hiskia aneum serpentem confregit	33			L	
Homines duabus potissimum rebus uincuntur	52	Lagenarum significatio	30		
Homines tam bonis quā malis rebus abutuntur	20	Lais urbs uastata	59		
Hominum animi uincuntur auro & mulieribus	52	Lex naturalis gentibus diuinitus insculpta	2		
Honestas ubiq; procuretur 73	Honestatis exēpl.	72	Legis energia	4	
Hospitalitas magnum bonum	61	Lege & uerbo Domini neglectis omnia scelera ori			
Hostis non est contemnendus	38	untur	7		
Hostem fugere potes, sed non iram dei	20	Legitimorum & illegitimorum liberorum discrimen	42		
Humano auxilio non confidendum	31				
Humanitatis & salutationis officium	70	Leuitis uictus negatus	50		
I		Liberat nos certo Deus	47		
Iabinacerrimus hostis Israelitarum	9	Liberatio ab aduersis unde querenda	22		
Iael uxor Heber interfecit Sifferam	13	Liberales sunt homines ad impietatem & seditionem	30		
Iebusei non deleui à Beniamin	3				
Ieiunia usq; ad uesperam 63	Idololatriæ exitus	55	Liberi singuli singulas habent promissiones Dei	45	
Iephtha quis fuerit	41				
Iephthæ uotum quomodo intelligendum	42	Liberi sunt donum dei	74		
Iesus Christus est nobis Hosen iudicij	58	Liberorum inobedientia in ducendis uxoribus	47		
Impius ubi querit asylum, proditur	12	Liberorum multitudo quid nos doceat	45		
Impioe iam non male faciendum	2	Liberorum multitudo quomodo inspicienda	74		
Impij fortuna insolentiores fiunt	39	Loquacitatis poena	53		
Impij speciem iusticiæ quandoq; habent	50	Luctu meminimus gaudij	62		
Impiorum consilia infelicitur cadunt	29	M			
Impiorum sollicitudo & spes uane	20	Magistratus boni officium	34		
Impietas scelix non durabilis est	40	Magistratus abroget impia sacra	24		
Impietatis humane exemplum	54	Magistratus legimus ingens Dei beneficium	58		
Impietatis ingenium 57	Impietatis poena	5	Magistratus ordinatio Dei	9	
Industria dei in rebus gerendis	29	Magistratus habet administrationem gladij	42		
Industria militaris quando scelix sit	29	Magistratus supplicium effugiens, non effugit supplicium Dei	62		
Infirma apta sunt instrumenta dei	8	Magistratus ubi non est, ibi sunt latrocinia, praedae, dirapiones &c.	58		
Infirmi uocati ad aliqua officia ridentur à mūdo	31	Magistratus quomodo liceat resistere	9		
Ingratitudo Israelis erga Gideonem	35	Maiestas nominis Dei	16		
Ingratitudo nostrorum Christianorum	14	Malum alicui inferre quando liceat	49		
Ingratitudo uulgi & mundi	35	Mali effugiendi tutissima uia	22		
In infirmitatibus quid agendum	26	Mala minora toleranda, ut maiora caueantur	62		
Iniuria illata quomodo sit uindicanda	2	Male partum, male dilabitur	35		
Inscitia humani ingenij	57	Malignitatis humane naturæ exemplum	52		
Ioas pater Gideonis	25	Malo uirum absq; pecunia, quam pecuniam absq; uiro	2		
Iratus nihil dicas aut facias	65	Manoah curiositas	40		
Iræ dei exemplum contra loquacitatem	53	Mandatis suis deus promissiones adiicit	8		
Iræ præcipuus semper comes est poenitentia	65	Mara quid significet	69		
Israelitæ cur ad idololatriam semper defecerint	40	Matrimonium coram testibus duabus causis contrahitur	74		
Israelitæ cur præ gentibus affligantur	6	Matrimonium res sancta	19		
Israelitarum supplicium propter impietatem	20	Matrimonij aduersa quomodo exequenda	74		
Israelitis exprobrantur beneficia Dei	4	Matrimonij incundi ratio	72		
Iuppiter Græcis Zeus dictus	24	Matrimonij uaria aduersa	74		
Iudicium à domo dei incipit	8				
Iuramentum Israelitarum contra Beniamitas	65				
Iuramenta iusta seruanda	ibid.				
Iusticia dei	16				

K

& iiij

I N D E X.

Ruth commendatur à fide & fructibus fidei	70	Turca fortunatus contra Christianos cur sit	38 54
Ruth diligentia & sollicitudo		Tyrannorum crudelitas non manet impunita	9
Ruth inter pauperimas uixit		Tyrannorum interitus	ibid.
Ruth libellus quare scriptus	67		
Ruth libelli utilitas	ibid.		
Ruth matrimonium quale fuerit	ibidem	Vellus quid significet	27
Ruth miserie & calamitates	68	Vendere populum quid sit	10
Ruth offeri Gentes Domino	69	Verbum domini habens uincit oēs aduersarios	12
Ruth que fuerit	67	Verbum domini duplex	23
Ruth quid significet	ibidem	Verbi Dei persecutores turpiter pereunt	9
		Verbi prædicatione reuelat peccata	21
		Victoria cui tribuenda	7
Sacra impia	56	Victoria est opus Dei	27, 29, 64
Sacra impia abrogantes Deus honorat	25	Victus debetur uerbi ministris	56
Sacra impia quomodo abroganda	24	Victoria modus seruandus	64
Sacrificia Baal cur gentes & Iudei instituerint	24	Victoria organa	26
Sacrificia maxima coram Deo	6	Vindictam legitimam petere non est impium	62
Samson uincula rupit	50	Vini præstantia & excellentia	37
Samsonis factum contra Philistinios	49	Visiones noue egent nouis miraculis	46
Samsonis fortitudo amissa	53	Vltio diuina in derisores priorum	31
Samsonis fortitudo	53	Vlcisci se quando liceat	94
Samsonis natiuitas	45	Vnicuique sua crux grauißima	69
Samsonis prudentia	53	Vocati ad aliqua opera, non putent sibi quiduis lice	
Samsonis oratio	54	Vocatis non omnia licet facere	51 (re 58)
Samsonis supplicium propter scortationem	53	Vocatio dei sectanda, sed cū prudentia fidei	29
Sapientia Dei & hominum longe differunt	46	Vocatione dei ambulanti resistentis supplicium	19
Satanæ gratia est remuneratio huius seculi	35	Vocatione diuina abijciamus impietatem	26
Satanæ animus erga ecclesiam Dei	20	Vocatione dei sectanda plus timemus quàm peccã	
Scortum amans interiorem suum amat	51	Votum Iephthæ quò intelligendum	42 (ad 26)
Scortorum fides	53	Vota Christianorum in baptismo facta	46
Scortationis supplicium	48	Vota Iephthæ	43
Secreta non sunt reuelanda uxoribus	54	Vota Nazæorum	46
Securifimus prospero rerum euentu	59	Voluntas dei de mulieribus	91
Securitas carnalis euentus	9	Vulgus non dat que debet nisi coacte	56
Securitate carnali nihil periculosius	25	Vulgus sua compendia curat	ibid.
Seditionis ratio	25	Vulgus què summe extollit, mox pessime odit	31
Serua in matrimonium ducta olim concubina dice	34	Vulgus prompte ad iniquitatem & seditionem pe	
Serue liberi non erant heredes patris	34	cuniam expendit	36
Seruorum conditio apud ueteres	34	Vulgi admonitio	16
Signa quando petenda sint	22	Vulgi deceptio in utilitatis specie	35
Sissaræ exercitus	11	Vulgi inconstantia & ingenium	31, 35, 50
Sissaræ interitus	12	Vulgi periuinacia in reinēdare religiōe inueterata	25
Socrus quam nurus diligant	68	Vulgo nihil stultius	37
Socrus omnes uulgo odio habent nurus	ibid.	Vxores è uiris sapiant	46
Spiritus consolationis unde nobis detur	71	Vxores reuelatione secretorum sepe exitio fite	
Stella nulla mihi lucet	18	runt	48
Stellas pugnare quid sit	ibidem		
Supplicia hominum effugiens, non effugit suppli	60		
cium Dei			
		Vv	
		Vvafcha	13
		Z	
Temeritatis exemplū	72	Zelus sine scientia multum incommodi habet	†
Tentare Deum	26	Zelus Iuppiter	24
Terra circa uellus Gideonis quid significet	27	Zodomiticum supplicium	64
Timor ex uisione angelorum	23		
Timor Dei	19		
Timor præposterus	26		
Tribus que se exercitui Barak adiunxerunt	17		
Turca quò uictus	28		
Turca quò uincendus	28		

F I N I S.

COMMENTARIVS

IN LIBRVM IVDICVM.

PRÆFATIO.



IN I O S V A descripta est occupatio, & diuisio ter-
re Canaan, ac institutio publicæ religionis & po-
liticæ in Israel, iuxta legem Mosi. In hoc autem li-
bro describitur progressus Reip. Israeliticæ pri-
us institutæ. Ac inscribitur Liber Iudicum, q̄
commemoret res gestas sub Iudicibus. Quanc̄s
enim Mose præceperit ut Iudices & Præfecti in omnibus portis con-
stituantur. In hoc tamen libro Iudices dicuntur, non qui in unaquavis
urbe ad cognoscendas ciuium controuersias ordinati erant, sed hero-
es qui miraculis diuinitus eligebantur ut essent Principes Israelitarum,
& Israelitas oppressos ab hostibus liberarent, ac liberatos in obserua-
tione legis, non quidem imperio, quod erat Regum, sed autoritate
continerent. Vnde postea capite secundo ita dicitur: Suscitauit Domi-
nus Iudices qui liberarent eos de manibus diripientium eos. Et mox:
Cum Dominus Iudices suscitaret, fuit Dominus cum eis, & liberauit
eos e manibus hostium omnibus diebus Iudicis. Hæc autem species
politice tam commoda fuit, ut status Reipub. Israeliticæ nuncq̄ tranquil-
lior ac liberior fuerit, q̄ sub Iudicibus, ut illud tempus uere aureum
Israelitarum seculum dixeris. Tametsi enim mira foelicitas eius tem-
poris, quo Salomon regnauit, commemoretur, tamen omnes tunc Isra-
elite serui erant. Et ad Rehabeam clamât: Pater tuus durissimū iugum
imposuit nobis. Iudicibus aut̄ Remp. administrantib. publica adhuc
libertas in Israel erat, quippe q̄ tunc magis diuina autoritate, q̄ hu-
mana libidine regebatur. Vnde Deus hunc Israelis statum, suum pro-
prie regnum uocat. Cum enim Israelite huius Iudiciarij status pertesi,
(prout prospera rer̄ successus saturis intolerabilis est) regem postula-
rēt, ait Dominus ad Samuelem, ultimum in Israel Iudicem: Non te ab-
iecerunt, sed me ne regnem super eos. Et postea inquit Samuel: Vos
hodie abiicistis Dñm Deum uestrum, qui liberauit uos ex uniuersis
malis & tribulationibus uestris, & dicitis ad eum, constitue regem su-
per nos. Ac rursus: Misit Dñs IerubBaal & Bedan & Iehpthah & Sa-
muel, & eruit uos de manu inimicorum uestrorum per circuitum, &
habitaistis secure. Videntes autem q̄ Nahas rex filiorum Ammon ue-
nisset aduersum uos, dixistis mihi, Nequaq̄, sed rex imperabit no-
bis, cum Dominus Deus regnaret in uobis. Habes eam politicæ speci-
em que in Israel sub Iudicibus fuit, proprie regnum Dei dicta esse. Sic
aut̄ dicta est, non quia politica que fuit postea sub regibus Israeliticis,
non

non fuerit ordinatio Dei, cur enim alioqui reges Christi Domini dicerentur? Sed primum, quia iudices diuinis miraculis, non ad imperandum, sed ad liberandum Israel em suscitabantur. Deinde quia iudices regebant populum, non pro imperio ut reges imperare solent, sed pro praescripta diuinæ legis autoritate. Quæ autem illic tyrannis esset, ubi princeps diuinitus ad seruandum populum eligitur, et populus secundum regulam diuinæ legis regitur? Quare Resp. Israelis nunc in meliori statu fuit quam sub iudicibus. Nam etiamsi saepenumero in hoc Reip. statu ab externis hostibus premerentur, tamen quod ad ipsam Reip. suæ formam attinebat, liberi erant, nec premebantur tyrannide domestici ducis aut regis. Cum autem hunc statum mutarent in regium imperium, tunc omnes fiebant serui, et auferebatur ab eis libertas. Ceterum in hoc libro idem quod alias in tota scriptura docemur, uidelicet, fidem ac timorem Dei. Docetur enim fides, quando traditur Israelitas in afflictionibus suis Deum inuocasse, & diuina clementia, nullo ipsorum merito liberatos esse. Docetur autem timor Dei, quando proponitur Israelitas propter peccata sua & contemptum ac uiolationem legis diuinæ in potestatem hostium suorum traditos ac tyrannide oppressos esse. Hoc tamen in signe præ alijs hic liber continet, quod commemorat multa exempla, quibus ostenditur, Deum præter solennem suam consuetudinem precipitem fuisse, tum erga peccatores, tum erga inuocatores nominis sui. Nam Deus alias dicitur longanimis & patiens, quod non mox solet peccatoribus inferre supplicium, sed inuitet eos tolerantia & lenitate, quemadmodum Paulus ait, ad poenitentiam. Ad hæc, & si in aduersis inuocatur, plerumque tamen auxiliū suū tamdiu differt, ut etiam ipsis peccatis uideatur stertere, minimeque preces exaudire. In hoc autem iudicum libro uarijs exemplis demonstratur, quod Deus nulla longanimitate, sed subita precipitantia preuaricatores legis suæ supplicio affecerit, ac hostibus opprimendos obiecerit, quod resipiscentes ac nomen suum in afflictione ex fide inuocantes, confestim sine ulla dilatione exaudierit, & ex afflictionibus liberauerit. Hæc autem temere & absque necessaria causa à Deo facta esse, minime sentiendum est. Nam status Reip. Israeliticæ, tam in ciuili quam in Ecclesiastica politia, hisce temporibus recens secundum legem Mosi institutus erat. Pollicetur autem Dominus in lege Mosi, benedictionem obseruantibus præcepta, mandata, iudicia & ceremonias eius, minatur uero maledictionem preuaricatoribus, & contemptoribus legis suæ. Itaque si initio institutionis politicæ, nec contemptores legis statim supplicio affecti fuissent, nec resipiscentes & Deum inuocantes auxiliū mox consecuti essent, profecto lex autoritatem suam amisisset, et promissiones ac minæ uerbi Dei mendaces habitæ fuissent. Ut igitur autoritas diuinæ legis confirmaretur, uisum est Domino Deo nostro con-

P R A E F A T I O

sultum, ut præuaricatores mox sceleribus recens commissis, punirentur, & resipiscentes continuo, inuocatione nominis Dei, nondum plene completa, a poena liberarentur. Haud dissimiliter etiam autoritas ministerij prædicandi Euangelij confirmata est. De hoc enim ministerio Christus dixit: Quorumcunq; remiseritis peccata remittuntur eis: quorumcunq; retinueritis, retenta sunt. Itaq; ne quis hoc uanum existimet, effecit Dominus ab initio reuelati Euangelij, ut hi qui fide prædicationem Euangelij excipiebant, manifesto dono spiritus sancti ornarentur. Ananias autem & Sapphira mentientes fidem, & fraudantes Ecclesiam Domini, ad uocem Petri collapsi expirarent, & perpetuæ morti propter peccata traderentur. Multi erant alioqui in Hierusalem his peiores & magis impij, sed quia hi erant auditores Euangelij, & mentiebantur spiritui sancto, uoluit Deus in ipsis exemplum ædere, quo toti orbi comprobaret, eam esse autoritatem ministerij Euangelij, ut quibus retineret peccata, ijs retenta essent, & quos traderet Satanæ, super eos Satan potestatem acciperet. De qua re plura differendi nunc non est locus. Hoc enim tantum ostendere uolui, qd Deus nouas rerum publicarum, & diuinorum ministeriorum ordinationes ac institutiones, nouis etiam miraculis & exemplis, tum iræ tum misericordie suæ confirmet, ut ex his cognoscatur, qd etiamsi post hac supplicium peccati differatur, aut inuocantes Deum in afflictionibus, non uideantur exaudiri, certissimum tamen est, qd peccatores sint obnoxij supplicio, quod & tandem, nisi resipiscentia præueniatur, eo grauius accidet, quo tardius aduenit, resipiscentes autem et inuocantes nomen Domini ex fide, propitium habeant Dominum, & uere exauditi sint in precibus suis, ac tanto maiori cum scenore Deus uoto eorum satisfaciat, quanto diutius reuelationem exauditionis differt. Proinde cum in hoc libro audias, Israelitas statim propter impietatem punitos, ac rursus, confestim per inuocationem fidei exauditos esse, memineris hæc exempla esse monumenta & signacula, qd nec impius impune feret suam impietatem, nec pius suo uoto ac desyderio fraudabitur.

*

CAPVT



CAPVT PRIMVM



OST MORTEM IOSVÆ.)
Quantū Israelitæ occupauerant iam, duce Iosua, terram Canaan, et dominabantur in ea, adhuc tamen reliquæ erant gentes quædam in ea, sortibus quidem inter tribus Israel diuisæ, nondum autem deuictæ, quemadmodum scriptum est in Iosua capite xiiij. Igitur post mortem Iosue consu-

lunt Israelitæ Dominum, quæ tribus debeat reliquias gentium prima inuadere. Cæterum quibus ritibus Dominus Deus noster publice ab Israelitis interrogatus ac consultus fuerit, explicuimus in priori libro Samuelis. Et scriptura ipsa in Samuele cap. xxiiij. satis indicat: Dicit enim: Consuluit Saul Dominum et non respondit ei, neq; per somnia, neq; per lumen, neq; per Prophetas. Quod autem Israelitæ non nisi consulto Domino reliquias gentium in terra Canaan inuadere uolunt, monet nos, ne quicq; quantumuis humile & abiectum absq; uerbo Domini faciendum suscipiamus, neq; quicquam agamus, nisi ex uerbo Domini sciamus opus quod aggredimur, esse Deo acceptū, & Dominum benedictionem suam in eo opere promississe. Vbi enim non est uerbum Domini, ibi non potest esse fides, fides enim ex auditu est. Vbi autem non est fides, ibi non potest esse inuocatio Dei. Quomodo enim inuocabunt in quem non credunt? Vbi autem non est inuocatio Dei, ibi neq; est benedictio neq; salus.

DIXITQVE DOMINVS, IVDAS ASCENDET.)

Iudam intellige, non unum quendam uirum, sed totam tribum Iudæ. Vna quæuis enim tribus Israel, nomine sui patriarchæ cognominatur. Respondet igitur Dominus, ut tribus Iuda inchoet bellum aduersus reliquos Cananæos. Et huic responso addit promissionem dicens. Ecce tradidi terram in manu eius. Est autem solennis Dei consuetudo, q; mandatis suis adijciat promissiones. Mandata enim Dei grauiora & difficiliora sunt, q; ut quisq; posset ea humanis suis uiribus capeffere. Addit igitur Dominus promissiones, ut ex promissionibus

A

fidem concipiamus. Vbi autem est fides, ibi spiritus sanctus renouat corda nostra, & efficit ut quantum per carnem in hoc saeculo licet, in preceptis Dei ambulemus, & quemadmodum Ezechiel ait, iudicia eius custodiamus, non quidem ut propter opera illa coram Deo iustificemur. Iustificamur enim tantum propter Iesum Christum per fidem, sed ut his operibus iusticiam fidei declaremus, & Deo obediamus. Sic Deus praecipiens Abrahæ ut egrediatur de terra sua & de cognatione sua & de domo patris sui (quis autem tam durum preceptum libens capefferet?) addit promissionem: Faciam te in gentem magnam, & benedicam tibi et magnificabo nomen tuum. Abraham igitur fide huius promissionis animatus, uocationi Dei obediuit. Sic Christus ambulans iuxta mare Galilæe, mandauit Petro & Andreae, ut relictis retibus se sequerentur. Et addidit promissionem, Faciam uos piscatores hominum. Sic omnibus mandatum est, ne furentur, & adiectæ sunt promissiones: pater coelestis nutriet ac uestiet uos. Et nouit pater uester coelestis quod opus habeatis his omnibus. Ut igitur alacres ad capeffenda & obseruanda precepta Dei reddamur, ante omnia respiciendum est in promissionem Dei, quæ si fide accipiatur, primum quidem credens iustificatur coram Deo per fidem propter misericordiam seu Christum filium Dei. Deinde mouetur a spiritu sancto ad sectandam uocationem & preceptum Dei.

ET AIT IVDAS SYMEONI.)

Hic iterum Symeonem non pro uno aliquo uiro, sed pro tota tribu Symeonis intelligas. Quid autem hoc est, inquires, quod tribus Iuda uocat secum in auxilium tribum Symeonem? num Iudas non adhibet fidem promissioni Dei, sed potius confidit auxilio humano? Ut maxime alias Israelitæ parum fidei uerbo Domini adhibuerint, et plus humanis praesidijs quam Deo confisi sint, tamen in hoc loco non potest tribus Iuda impietatis accusari. Nam quia postea sequitur: Tradidit Dominus Cananem ac Pheresem in manus eorum, satis manifeste demonstratur quod Iudas uocauerit Symeonem in auxilium suum, non ex incredulitate, sed ex prudentia fidei atque charitatis. Fides enim & si certa est de consequendis rebus promissis, nec ullam fiduciam in carnalibus rebus collocat, bonas tamen creaturas Dei ad utendum a Domino propositas non fastidit, sed dono & commoditate earum, quantum licet, utitur, ne Deus presumptione ac temeritate tentetur. Vocat igitur Iudas Symeonem in auxilium suum, non ut ex incredulitate carnali auxilio confidat, sed ut ex fide, proximi auxilio utatur. Charitatis autem est, quod Iudas recipit se Symeonem uicissim adiuturum. Erat enim Symeoni fors sua data in sorte tribus Iudæ, quemadmodum scriptum est in Iosua capite xix. Inter uicinos autem manus quod dicitur, manum lauare de

lauare debet, & officium officio, beneficium beneficio pensandum est. Hanc mutuam iusticiam etiam publicani, ut Christus ait, præstant, quanto magis ea à populo Dei requiritur.

FUGIT AVTEM ADONIBEZEK QVEM PERSECVTI SVNT.)

Hic Adonibezek, rex fuit Beseke, nam Adonibezek significat dominum Bezek. Fuit autem impius & crudelis tyrannus. Ex uerbis tamen eius cum dicit: Septuaginta reges amputatis manuum ac pedum pollicibus, colligebant sub mēsa mea micæ, sicut feci ita reddidit mihi Dominus, nonnulla digna obseruata sunt. Primum quod ait. Dominus mihi reddidit, significat gentes quoque habere cognitionem Dei diuinitus insculptam. Vnde Paulus ad Romanos scribens: Quod de deo, inquit, cognosci potest, manifestum est in illis, Deus enim illis patefecit, siquidem que sunt inuisibilia illius ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidetur, ipsaque eterna eius potentia ac diuinitas. Deinde quod ait: sicut feci ita reddidit mihi Dominus, significat gentes habere etiam cognitionem legis & iusticiæ naturalis, que est, meritum simili merito retaliandum esse. Hanc naturæ legem Mose sic explicuit: Animam pro anima, oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges. Et Christus: Quo iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis. Et qua mensura metimini, ea metientur uobis a Iij: Hostibus quoque Babylonis per Hieremiam precipitur, ut ultionem de Babylone accipiant, & sicut fecit, ita faciant ei. Sed in exequenda hac naturæ lege diuersa est hominum ratio. Nam in referendis quidem mutuis beneficijs, unusquisque operam dare debet ne à benefactore beneficijs superetur, in retaliandis autem et puniendis maleficijs sibi illatis, relinquenda est executio legis, & ultio Domino Deo nostro, ac his que legitime à Deo ad inferendam ultionem & referendas iniurias uocati sunt. Nam quod ad priuatos hoies attinet, dictum est nobis, ne resistamus malo, sed quisque impegerit aliam in dextram maxillam, obuertamus illi et alteram. Quod autem hoc dictum Christi, non uetet aduersarium & iniuriam inferentem coram iudice ac magistratu accusare, non est huius loci explicare. Postremo in supplicio Adonibezek etiam hoc obseruandum est, quod deus non solum illam iniuriam non fert inultam, quam impius pio infert, sed etiam hanc quam impius impio infert. Hic enim Adonibezek fuit uir impius. Sic et septuaginta reges quorum pollices amputauit fuerunt impij. Nihilominus tamen punitur Adonibezek propter iniuriam & crudelitatem illis illatam. Habes & huius rei exemplum etiam in Amos cap. ij. Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumæ usque ad cinerem: An non & rex Idumæ impius uir fuit? Certe



fuit, uindicat tamen Dominus crudelitatem qua rex Moab in iptura
grassatus erat. Proinde da operam, ut nec impio homini malefacias.

PERGENSQUE IVDAS CONTRA CANANÆ
VM QVI HABITABAT IN HEBRON.)

De patriarcha Caleb & de gigantibus qui in Hebron habitauerunt, plenius lege in Numeris cap. xiiij. & in Iosua cap. xiiij. & xv. Hec quoque historia de proposita filia Caleb in præmium uictori, & de expugnata Kiriathsepher, hsdem pene uerbis κατὰ πρόληψιν in Iosua commemoratur, Illic enim historiographus occasione a Caleb accepta, id quod postea factum est anticipauit. Nam cum exploratores e quorum numero & Caleb erat) è terra Canaan ad Mosen in deserto redirent, ac decem eorum uulgum Israeliticum ad seditionem concitarent, et ab ingrediendo in terram Canaan deterrerent, Caleb magna fidei fortitudine seditioni restitit, et strenua constantia adhortatus est populum ad perdurandum in sectanda uocatione Dei, Ob quam uirtutem pollicitus est ei Deus singularem partem in terra Canaan, & quod pollicitus est, etiam re ipsa præstitit, quemadmodum scribitur in Numeris capite xiiij. & in Iosua eodem capite, & decimo quinto. Post mortem igitur Iosue cum iam unaquæque tribus & familia ad occupandam suam sortem proficisceretur, promisit Caleb publice inter cognatos suos, se illi daturum filiam suam Achsam in uxorem, qui urbem Kiriathsepher (hec enim ipsi data erat) expugnaret. In hac igitur historia primum obseruandum est, quod Deus opera & uirtutes fidei suis præmijs rependere soleat. Non merentur quidem opera & uirtutes remissionem peccatorum seu iusticiam & uitam æternam, hæc enim dantur a Deo gratis per solam fidem propter Iesum Christum, attamen merentur alia dona, quod hoc loco probat exemplum Caleb, qui cum per fidem iustificatus esset, & ex fide seditioni Israel constanter resisteret, meritus est per hanc uirtutem, ut audiret a DOMINO: Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in terram hanc quam circuiuit, & semen eius possidebit eam. Sic Christus in Matthæ ad eos qui multa mala propter nomen suum ex fide sustinent, dicit: Gaudete & exultate quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Deinde, quod Caleb proponit filiam suam Achsam expugnatori urbis Kiriathsepher, significat generos esse querendos, non opibus sed uirtutibus præstantes. Sic Saul rex Israelis, pollicetur se filiam suam in uxorem daturum percussori Goliathis, uidelicet non opes aut genus, sed uirtutem spectans. Sic Themistocles de sponso filie suæ, paupere quidem uiro, sed probo, dixit: Malo uiræ absque pecunia, quam pecuniam absque uiro
FILII AVTEM CINEI AFFINIS MOSI.)

Cineum alio nomine dictum fuisse Hobab obseruatur è capite quarto

quarto huius libri. Sed quo casu ad Israelitas uenerit, scriptum est in Numeris capite decimo, in quo loco Mose, præter alia, etiam ita eum alloquitur. Cum ueneris nobiscum, quicquid boni fecerit nobis Dominus, faciemus tibi. Quod igitur filij Cinei cum familia Iuda habitant, exemplum est seruatæ fidei, quam Mose dederat affini suo & redditi beneficij, quod Hobab in Israelitas in deserto collocauerat.

IEBVSÆVM AVTEM HABITATOREM IERUSALEM NON DELEVERVNT.)

Quod scribitur Benlamitas non deleuisse Iebusgos in Hierusalem, idem antea habetur de Iuda, q̄ non deleuerit Cananæos in ualle habitantes, idem quoq̄ sequitur de Manasse, Ephraim, Sebulon, alijsque tribubus, q̄ non deleuerint Cananæos, sed fecerint eos tributarios. Ac iustis quidem & Israeli utilibus causis sic a deo ordinatum erat, ut non statim omnes gentes Cananæorum ad internitionem delerentur. Dicit enim Mose in Deutero: cap. septimo: Ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim & per partes. Non poteris eas dele re uelociter, ne forte multiplicentur contra te bestiaæ agri. Recensetur & alia causa in hoc libro capite iij. sic enim scribitur: Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus ut tentaret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Cananæorum, & postea discerent filij eorum certare cū hostibus &c. Sed uide q̄ impie Israelitæ hac re abutantur. Non enim discunt in Cananæis impietatem execrari, sed potius sectari. nec discunt in eis pia bella gerere, sed impia foedera & sacra facere. Vulgaris hic hominum morbus est, q̄ commoda a Deo proposita in suam ipsorum perniciem uertant. Sic epulones abutuntur cibo, sic ebriosi uino, sic auari diuitijs, sic tyranni potentia, sic impij afflictione qua a Deo afficiuntur, ut inuitentur per eam ad poenitentiam. Iam quemadmodum Israelitis tradita quidem est terra Canaan in possessionem, reliquit tamen Dominus in ea gentes aliquot aduersarias ad exercendum Israelem, ita omnibus in Christum credentibus traditur quidem iusticia & uita æterna per fidem propter Christum, attamen relinquuntur in eis desyderia carnis, ut quoad uiuāt, exercitium fidei in domandis & expugnandis reliquijs carnis habeant. Vnde Paulus dicit: Noui q̄ non habitat in me, hoc est, in carne mea bonum. Et alias: Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Quid igitur faciendum est: non est obsequendum concupiscentiæ carnis, nec foedera cum ipsa percutienda sunt, sed quemadmodum Paulus docet. Facta carnis spiritu mortificanda sunt, & ambulandum est spiritu ut concupiscentiam carnis non perficiamus. Is autem spiritu ambulat, qui primum quidem ex auditu Euangelij fidem concipit, q̄ peccata ipsi remissa sint gratis propter Christum, deinde exiit spiritu fidei ueterem

hominem cum factis suis, & induit nouum:

VIDERVNT HOMINEM EGREDIENTEM DE CIVITATE.)

Hic homo patriam suam prodidit hostibus. Solet igitur dubitari, num, quia ciuis fuit, & iuramento reliquis ciuibus suis addictus, peccauerit prodendo urbem Israelitis. Respondeo: Siue hic uir proditus fuit fide, sicut Rahab meretrix in Iericho, de qua in Iosua, siue timore (erat enim ab Israelitis comprehensus ante urbem) ciues prodiderit, certe quod fecit, ex fide facere potuit. Nam uerbo Dñi ita ordinatum ac demandatum erat, ut Cananei ad internitionem per Israelitas, electum populum suum, delerentur, & ut Israelite, terram Cananeorum, extirpatis habitatoribus eius possiderent. Quod autem Deus ordinat ac demandat, hoc potius sectandum est, q̄ quod iuramenta hominibus prestita, & uerbo Dei contraria exigunt. Nemo em̄ potest duobus Dominis inter se dissidentibus seruire: & magis obediendum est Deo q̄ hominibus. Pietas igitur erat, a Cananeis ad Israelitas deficere, & partes eorum, quoquomodo licuit, siue prodendo, siue occidendo, siue sumptum præstando, siue alia re adiuuare. Nam quos licet occidere, eos etiam licet prodere: In hoc enim præcepto: Non occidas, prohibetur etiam proditio. Cum ergo homicidium legitime ac diuinitus conceditur, certe conceditur etiam proditio. Huic autem ciui Bethel, ante urbem comprehenso, a partibus Israelis facto, licuit iam ciues Bethel occidere, quid igitur obstat, quo minus ipsos prodere licuit. Narrant Octauium Augustum dixisse, proditionem amo, proditores autem odi. Sed memineris hoc Ethnici uerbum, aut de iniquis proditoribus intelligendum esse, aut indicare q̄ autor eius dicti non intellexit, quid sit legitima bella gerere. Hæc enim si honesta sunt, cur hostem prodere non esset honestum? scilicet ipse sibi permittebat tot milia hostium in modum belluarum trucidare, & uolebat propter res præclare gestas ab oibus amari ac commendari, proditorem autem, cuius opera hæc fecit, odio dignum esse censet. Ceterum, hæc non sunt dicta, ut hinc impijs, & illegitimis proditionibus ansa præbeatur, sed ut hi qui a magistratibus constituuntur ad indicandos, & deferendos execratores, blasphemos in nomen dei, ebrios, & id genus sceleratos, discant suam uocationem intelligere, nimirum q̄ prodendo blasphemum magistratui, non impie agant, sed quia magistratum in officio suo adiuuant, quo mali puniantur, Deo seruiant.

MANASSES QVOQVE NON DELEVIT.)

Quæ ab hoc loco usq̄ ad finem huius capituli scribuntur, habes etiam in Iosua capite xvij. & sequentibus, ubi inuenies etiam nomina urbium & locorum, quæ hic commemorantur.

CAPVT.

CAPVT II.

ASCENDITQVE NVNCIVS DOMINI.)

Hic nuncijs siue fuerit propheta quispiam aut sacerdos, siue angelus de caelo missus, & manifeste apparens, parum retulerit, certe quod concionatur, uerbum Domini est. Postquam enim Israelitae reliqujs gentium, in suam perniciem abusi sunt, & didicerunt ab eis impietatem, misit Dominus legatum suum ad ipsos, qui eis grauitatem peccati reuelaret, & iram Dei ac supplicium propter peccatum annuntiaret, adeoque id iam re ipsa implendum ostenderet, quod Iosua antea uerbis minatus est, Dixit enim Iosua capite uigesimo tertio. Si auerteritis uos & adhæseritis his gentibus, quæ reliquæ sunt, & cum eis miscueritis connubia, iam nunc scitote quod Dominus Deus uester non eas debeat ante faciem uestram, sed erunt uobis in laqueum & pediculas & sudem ex latere uestro, & spinam in oculis uestris, donec uos auferat & disperdat de terra hac optima, quam tradidit uobis. Hæc comminationem non iocosam, sed plane seriam fuisse, legatus Dei nunc indicat. Ac primum quidem in priori concionis suæ parte ponit Israelitis peccatum suum ob oculos, & amplificat illud antithesi beneficiorum Dei, quæ Israelitis diuinitus contrigerunt. Eduxi, inquit, uos de Aegypto, & introduxi in terram, pro qua iuravi patribus uestris, & pollicitus sum, ut non facerem irritum pactum meum uobiscum in sempiternum. Hæc si per partes explicare uolueris, inuenies esse immensa beneficia. Quo autem maiora sunt beneficia, eo grauiora sunt peccata aduersus benefactorem commissa. Noluistis (inquit) audire uocem meam. Cur hoc fecistis? certe non habetis quod in Deo accusetis. In uobis ipsis omnibus culpa hæret. Quod ad Deum attinet, nihil non ille fecit, quo uobis bene esset. Quod autem ad uos attinet, tanta uestra est malitia, ut quo magis Deus uobis benefecit, eo impudentius aduersus Deum peccaueritis. Hoc exemplo etiam nos nostrorum peccatorum grauitatem cognoscere debemus. Liberauit enim nos Dñs per Iesum Christum filium eius unigenitum, è potestate & captiuitate Satanæ, & remisit nobis peccata nostra gratis propter Christum, per fidem quæ est in ipsum, imputans nobis fidem ad iusticiam, adhæc benedixit in nobis omnes maledictiones huius sæculi, ut necesse habeant nobis adiumento esse in bonum, donauitque nobis nullis nostris meritis, perpetuam foelicitatem propter Christum. Hæc beneficia maiora sunt, quæ quæ satis digne humana lingua explicari queant. Quid igitur? si contuleris ad ea peccata tua aduersus

Deum, quid potest dici sceleratius: uidelicet quod pro tantis beneficijs, tanta maleficia reposuisti. Deinde in posteriori parte concionis suæ addit legatus Dei supplicium quod Israel propter impietatem meritus est. Quamobrem, inquit, non expellam eos a facie uestra, ut sint uobis in laqueum, & dii eorum sint uobis in pedicas. Aptæ descriptio mali uicini, nulla enim est grauior pestis quam malus uicinus. Vnde recte hoc loco dicitur laqueus, pedica: & in Iosua, sudes ex latere, & spina in oculis. Hæc sunt mali uicini epitheta, quibus ualde diserte exprimitur, quantum sit noxæ ex malo uicino. Et Hesiodus eiusmodi uicinum uocat *πῖμα*. Contra uero scribunt Themistoclem cum prædium uenderet, iussisse præconem hoc addere quod bonum haberet uicinum. Sensit enim esse bono uicino plurimum esse utilitatis.

CVM LOQUERETVR NVNCIVS DOMINI
VERBA HÆC.)

Habes hic exemplum resipiscentiæ. Ac primum uides, quæ sit energia legis. Quod enim nuncius Dei arguit Israelitas peccati, & annunciat eis supplicium, ministerium legis est. Lex autem operatur iram, quemadmodum Paulus ait: & occidit. Reuelato igitur peccato, Israelitæ maximo terrore concutiuntur, adeoque tantis lachrymis, dolorem animi sui testantur, ut locus iste nomen suum in perpetuum monumentum, hinc acceperit. Vocatus est enim *בּוּחִים* Bochim, hoc est, flentes, Nam *בּוּחַ* Bacha significat flere. Deinde fletui addunt hostiæ. Immolauerunt enim ibi hostias Domino. Etenim ad resipiscentiam non satis est propter peccatum in conscientia terri, dolere, & lachrymas effundere, hoc quidem primus gradus est ad resipiscentiam, nondum autem summus. Nam si in hoc constiteris, nec ultra perrexeris ad fidem, non in cælum ingrederis, sed ad infernum descendis. Si quidem hi terrores, sunt dolores inferni, nec satisfaciunt pro peccatis, sed augent subinde peccata, sicut nec lachrymæ ex dolore effusæ peccata expiant, sed testantur tantum magnam peccatorum molem. Quare necesse est ut post terrores & lachrymas addas fidem quod peccata tibi remissa sint propter Christum. Vnde Israelitæ addunt hostias, profecto non ea opinione, ut operibus hostiarum, pro peccatis satisfaciunt, & Deum propitium reddant, sed ut hac immolatione testentur se credere, quod habeant remissionem peccatorum, & placatum Deum, propter illum qui per hostias adumbratur, qui est semen Abrahæ, Iesus Christus Dominus noster. Præterea, immolant hostias, ut confiteantur & laudent nomen Domini, ac testentur se gratos esse erga eum, qui remittit ipsis peccata propter misericordiam suam. Ad ueram igitur resipiscentiam requiritur primum, ut agnoscas peccata. Agnitio autem peccati terrorem incutit, propter iram dei & supplicium. Deinde

requiritur

requiritur, ut addas fidem, et credas, q̄ peccata gratis sint remissa propter Christum, & q̄ Deus propter hunc sit tibi propitius. Postremo necesse est, ut producas opera fidei non ut his pct̄a expies, ut Deum places, sed ut his fidem tuam testeris, & in uocatione Dei ambules.

DIMISERAT ENIM IOSVA POPVLVM ET ABIERANT FILII ISRAEL.)

Quod antea legatus Dei paucis egit, hoc nunc scriptura latius explicat, & exponit occasionem qua Israelitæ ad impietatem defecerunt. Hæc enim est sententia, Israelitæ tantisper quidem uerbum Dei secuti sunt, & politiam diuinitus institutam cōseruarunt, dum Iosua, & post eum seniores, qui nouerant magna Dei mirabilia, adhuc uiuerent. Hi enim urgebant legem domini, & uerbum Dei, cuius uim experientia didicerant, populo inculcabant. Itaq̄ factum est, ut assidua uerbi Dei prædicatione populum in officio continerent. Postquam autem & Iosua & seniores post eum, mortui sunt, tum uero Israelitæ ad omnia impietatis genera defecerunt. Quid ergo inquires: num pietas uulgi pendet ex persona maiorum: profecto hic uulgi solennis mos est, q̄ comparat sese ad exempla magistratus sui. In hoc autem loco non loquitur scriptura de exemplis maiorum, sed de neglectu ministerij uerbi diuini. Cum enim post mortem seniorum, alij succederent, qui nihili ducebant religionem, negligebant doctrinam pietatis & ministerium legis. Ex neglectu autem piæ doctrinæ uenit contemptus Dei, ubi autem contemnitur Deus, ibi ruitur subinde in alia atq̄ alia scelera. Quod igitur Israelitæ dereliquerunt Dominum, hinc a deo ortum est, quia ministerium piæ doctrine post mortem Iosue & seniorum collapsum erat. Pietas enim populi Dei pendet a ministerio uerbi. Etenim quant̄ in Esai. scribatur, dabo uniuersos filios tuos a Deo doctos. Et in Hier. non docebit ultra uir proximum suum, & uir fratrem suum dicens, cognosce Dominum. Christus quoq̄ dicat, nemo uenit ad me nisi pater meus traxerit eum, tñ per hæc non abrogatur externum ministerium uerbi Dei, sed potius confirmatur. Dominus enim Deus noster docet per organon, per ministerium uerbi sui, & trahit per Euangelion. Paulus em̄ dicit: Euangelion est potentia Dei ad salutem omni credenti. Et Deus dat incrementum, sed quō: per plantationem Pauli, & rigationem Apollo. Necessarium igitur est ad salutem externū ministerium uerbi Dei, & quanto puriorem doctrinam tractat, tanto magis pietas populi Dei promouet.

SERUIERVNT BAALIM ET DIMISERVNT DOMINVM.)

Hæc est impietas, quam Israelitæ post mortem Iosue & seniorum designarunt. Dimiserunt Deum patrum suorum, & seruiuerunt Baalim &

Astaroth. Paucis uerbis comprehenditur lerna malorū. Dimittere enim Dominum Deum patriarcharū, est contemnere & derelinquere uerbum Domini. Qui autem contemnit uerbum Domini, is neque credit promissionibus Dei, neque ambulat in mandatis eius, adeoque tam in Deum quam in homines impius est. Seruire autem Baalim & Astaroth, est facticijs sacris confidere, & polliceri sibi per opera illorum sacrorum gratiam Dei, remissionem peccatorum & uitam eternam. Hoc quid aliud est quam abnegare uerum Deum, & semen Abrahę, per quod benedictio promissa erat, uidelicet Iesum Christum dominum nostrum? De Baalim autem & Astaroth alias sæpe diximus.

IRATVSQVE DOMINVS CONTRA ISRAEL.)

Vide quid sequatur impietatem. Ira Dei et supplicium. Sic enim antea minatus est Dominus Israelitis dicens: Si audire nolueris uocem Domini Dei tui, ut serues & facias omnia precepta eius, seruiens inimico tuo, quem immittet tibi Dominus, in fame, in siti, & nuditate, & in omni penuria, & ponet iugum ferreum super ceruicem tuam, donec te deleat. Habes igitur hoc loco minas Dei maxime serias, ac uerissimas esse. Quare noli tibi in peccatis tuis blandiri quasi ignis inferni non ita caleat, ut uulgo predicatur. Sed sic in animum tuum inducas, quod donec fueris maledictioni legis obnoxius, nec per Christum a lege libereris, nulla lingua explicare queat, quanta te supplicia propter peccata tua maneant.

SVSCITAVIT QVOQUE DOMINVS IVDICES.)

Posses dicere, Israelitae non fuerunt impij sua, sed potius temporis culpa, propterea quod mortuis maioribus, iuniores successerunt, qui & si audierant de miraculis Domini in Aegypto, & in deserto, tamen non uiderunt ea. Si autem suis ipsorum oculis uidissent ea, & re ipsa sensissent presentem clementiam Dei, fortassis non defecissent ad impietatem. Sed hoc diuerticulum scriptura nunc occupat, & exponit Israelitas nullius alterius rei, preterquam sua ipsorum culpa impios fuisse. Quamquam enim non uiderant Moysen, neque miracula, quae dominus per ipsum edidit, tamen uiderunt & audierunt iudices quos Dominus temporibus ipsorum excitauit, & re ipsa expti sunt clementiam Dei. Cum enim ab hostibus premerentur, misit eis dominus iudices, per quos liberabantur ab hostibus, & secure sub ficu et uite sua habitabant. Sed quid haec bonitas Dei apud ipsos profecit? ne tantillum quidem. Neque enim uiuentibus adhuc iudicibus obsequabantur, & mortuis illis deterius peccabant, quam patres ipsorum. Cur ergo, inquit, liberauit eos dominus de crudelitate hostium per iudices, si in maiorem subinde impietatem deficiebant? Causam explicat scriptura dicens: Miserebat DOMINVM propter gemitus eorum cum affligerentur & angerebantur. Non enim respiciebat Dominus iusticiam Israelitarum, quod nullam habebant, non merita, non dignitatem, non potentiam, non fortitudo

fortitudinem ipsorum, sed tantum suam ipsius promissionem & misericordiam, qua tangebatur propter afflictiones & gemitus ipsorum. Memorabilis locus, quo primum docemur, afflictiones & gemitus afflictorum, maximi respectus coram Deo esse, adeoque nullum posse gratius sacrificium Deo offerri, quam si proponatur ei cor contritum & humiliatum. Sacrificium, inquit Psalmus, Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Accursus: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in caelo & in terra: Et in Esa. Ad quem respiciam, nisi ad pauperculum & contritum spiritu, & tremementem sermones meos. Deinde uides Deum non uelle mortem peccatoris, sed magis ut conuertatur & uiuat. Tante enim sunt diuitiae bonitatis Dei, ut pessime de se meritis, optime faciat, quo eos ad poenitentiam inuitet. Quis igitur afflicto animu suu desponderet? & quis foeliciter uiuens, Domino Deo benefactori suo non obsequeretur?

IRATVSQVE EST FVROR DOMINI.)

Repetit scriptura, quasi epilogo quodam uerbum domini, quod antea per nuncium praedicatum erat. Dices autem. Quid? num quia Israelitae non seruauerunt pactum suum, ideo etiam Deo licuit non seruare pactum suum? nunquid Deus mendax est, quia homines mendaces sunt? Absit. Deus enim uerax manet in promissionibus suis, etiamsi omnes homines mendaces fuerint. Sunt autem duo genera pactorum et promissionum dei. Alia enim Deus promisit absque condicionibus, sic Abrahae promissa fuit multiplicatio seminis sui, & liberatio eius ex Aegypto, occupatio quoque terrae Canaan. Sic Deus promisit omnibus in Christum credentibus remissionem peccatorum propter Christum & uitam aeternam. Haec promissiones absque condicionibus, huius sunt naturae, ut seruentur, siue quis legem Domini seruauerit, siue non seruauerit. Unde quandoque Israelitae fuerunt impii, tamen liberati sunt ex Aegypto, & introducti sunt in terram Canaan, quia fuerunt semen Abrahae. Sic credentes in Christum, & si peccatores sunt, tamen reputantur iusti, & donantur iure regni caelestis, quia sunt per fide membra Christi. Aliae sunt promissiones cum condicionibus, ut Deus pollicitus est semini Abrahae, quod uelit eos in possessione terrae Canaan semper seruare, sed ita, si ipsi legem Domini seruauerint. Sic promisit credentibus in Christum quod uelit eis perpetuo peccata sua non imputare, & in iure regni caelestis conseruare, sed ita, si in fide & uocatione Dei manserint, & usque ad finem perseuerauerint. Atque haec promissiones huius sunt naturae, quod seruentur a Deo, si condiciones adiectae, ab hominibus seruentur. Si uero condiciones non seruentur ab hominibus, tamen neque deus necesse habet ut seruet suas promissiones, non quod mendax fiat, sed quod pactum initu hoc requirat. Quid ergo de nobis fiet? nos enim omnes peccauimus & pactum quod nobiscum pepigit Deus preuaricati sumus,

num amissimus ius regni cœlestis: certe id ius peccatis amittitur, sed reliqua adhuc est uia huius iuris iterum recuperandi: nam si ad primam fidem redeamus, & credamus quod peccata nobis propter Iesum Christum remissa sunt, tunc ueteri iuri restituimur, sicut Israelitæ sub Cyro ad suam regionem ex captiuitate redierunt.

CAPVT III.

HÆ SVNT GENTES QVAS DOMINVS DERELIQVIT.)

Quod scriptura antea summam proposuit uidelicet Dominum dereliquisse aliquot gentes in Canaan superstites, & Israelitas exemplo earum gentium ad impietatem defecisse, ac propter impietatem uarijs calamitatibus afflictos esse, hoc nunc ab isto tertio capite usque ad finem libri per partes explicat, commemorans initio, quæ fuerint illæ gentes in Canaan reliquæ: deinde exponit, quid Israelitæ peccauerint, qui hostes eos afflixerint, qui iudices ipsos de manibus hostium liberauerint, quid sub quouis iudice memorabile gestum sit, & omnino quæ fuerit fortuna populi Dei, iudicibus in Israel Rempublicam administrantibus.

Cæterum in enumeratione gentium in Canaan reliquarum, scriptura addit consilium DOMINI, quo hæc gentes in Canaan superstites relicte sunt, cuius rei supra quoque meminimus, Reliquit enim gentes, primum ob hanc causam, ut tentaret in eis Israelem, utrum audirent mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Mosi an non. Deinde, ut omnes qui non nouerant bella Cananorum, & filij eorum discerent certare cum hostibus, & haberent aduersarios qui ipsos ad bellandum exercerent. Erat enim à Domino ordinatum, ut Israel per magistratum suum, regionem Canaan ab hostibus defenderet, pro ut cuiusuis legitimæ Reipublicæ interest, ut hostes arceat, & ciues defendat. Vbi autem iuuentus non exercetur ad gerenda arma, nec habet aduersarium cui æmuletur, ibi in segnitiam & torporem resoluitur, & uirtus bellica intercidit. Quare DOMINVS prudenter consulit Israelitis, quod ad exercitia eorum relinquit aliquot gentes superstites in terra Canaan. Tametsi enim hostes populi Dei uincendi sunt, non uirtute armorum, sed uirtute Dei, tamen armorum usus non est negligendus his, qui ad arma gerenda uocati sunt. Aliud est uirtus, aliud usus. Nam in uictoria gladio parta, uirtus quidem Dei est, usus autem armorum. Allegoriam gentium in Israel reliquarum supra quoque attigimus. Etenim quemadmodum Israelitæ, totum imperium, duce Iosua, in terra Canaan sibi acquisiuerunt, in hac tamen terra

terra gentes aliquot relictæ fuerunt, quæ imperium Israelis nondum agnoscebant, ita postquam per Iordanem baptismi transiuimus, facti sumus toti sancti per fidem propter Iesum Christum, & data est nobis, non pars aliqua, sed totum regnum cœlorum, ita ut debeamus super omnia peccata, afflictiones, mortem, Satanam, & infernum dominari, ac totam æternæ uitæ hæreditatem possidere. Sanctitas enim nostra nihil aliud est quæ remissio peccatorum propter Iesum Christum. Hæc autem nobis tota contingit per fidem. Credenti enim non unum peccatum remittitur & alterum retinetur, sed omnia simul & tota peccata remittuntur. Toti igitur sancti sunt qui in Iesum Christum credunt. Et Paulus ait: Benedixit nos omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Et alias: πολιτευμα nostrum est in cœlis. Ac Ioannes: Charissimi, inquit, nunc filij Dei sumus, et nondum apparuit quid futuri sumus. Hoc est, nondum quidem reuelatum est id quod sumus, attamen nunc reuera illud sumus, nimirum filij Dei & hæredes bonorum eius. Sed sub hac sanctitate & imperio cœlesti nobis propter Christum exhibito, remanent in nobis quo ad uiuimus reliquiæ carnis impure, & imperio spiritus rebellantes. Has reliquit Dominus in nobis, primum ob hanc causam ut probet fidem nostram, num uelimus potius uerbo Domini quæ concupiscentijs carnis obsequi. Deinde ut re ipsa sentiamus quanta sit impietas hominis in qua conceptus & natus est. Alioqui enim uix persuaderet nobis quispiam ut crederemus, tam incredibilem esse hominum natura sua impietatem, nisi eam re ipsa intra nos sentiremus ac quasi manu tangeremus. Quod si magnitudo peccati nostri nobis ignota esset, profecto magnitudo quoque gratiæ Dei qua nobis peccatum remittitur ignota esset. Reliquit igitur Dominus in nobis reliquias carnis, ut & magnitudinem peccati nostri, & magnitudinem gratiæ Dei peccatum propter Christum remittentis agnoscamus.

ITAQUE FILII ISRAEL HABITAUERUNT IN MEDIO.)

Quas gentes Deus bono consilio in Canaan reliquerat, his Israelitæ impie abutuntur, & ducunt contra legem Domini uxores filias eorum, ipsique filias suas filijs eorum tradunt, & seruiunt dijs eorum. Porro Israelitis non licuit propter conscientiam iungere matrimonia cum Cananæis in sua impietate manentibus. Hoc enim matrimonium erat impium propter legem quæ scripta est in Deuteronomio capite septimo. Non sociabis, inquit Dominus, cum eis connubia, filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo. Unde etiam tale matrimonium iam contractum dirimebatur. Cuius rei exemplum habes in Esdra capite ultimo.

B

IRATVSQVE CONTRA ISRAEL.)

Primus hostis cui Israel post ingressum in terram Canaan seruiuit, est Cusan Risathaim rex Mesopotamiæ, obseruabilisq; q; scriptura dicit: Tradidit Dominus in manus Cusan. Nihil enim potest aduersarius in populum Dei, nisi Dominus tradiderit ei potestatem. Quare non aduersarius, sed Dominus Deus noster timendus & fide apprehendendus est, ut aut non tradat nos hostibus diripiendos, aut traditos eripiat.

ET CLAMAVERVNT AD DOMINVM.)

Hæc exempla quibus nobis proponitur Israelitas antea propter impietatem hostibus traditos, postea autem clamantes ad Dominum, liberatos fuisse, debent nobis loco preciosissimarum margaritarum esse, & tanq; charissimus thesaurus conseruari. Etenim si propter peccata nostra a Domino affligimur, conscientia nostra ita pauca redditur, ut non audeat faciem suam ad cælum eleuare, & Dominum inuocare. Timet enim ne preces gemitus & suspiria eius non admittantur ab irato Domino. Sed hæc exempla rursus erigunt conscientiam & confirmant eam. Docent enim q; Dominus preces & clamores peccatorum respiciat & exaudiat, eorum nimirum peccatorum, qui & si ingentia scelera designauerunt, credunt tamen Dominum Deum, suum Deum esse, propter promissionem ad Abraham dictam, hoc est, qui credunt q; habeant placatum patrem in cælis propter Iesum Christum, & ex hac fide ad Deum clamant. Hac enim fide & peccata commissa absorbentur, & oratio afflicti ad thronum gratiæ Dei penetrat.

OTHNIEL FILIVM ONAS.)

De hoc Othniele uide supra in Iosua capite decimo quinto, & in Iudicum capite primo. Et iterum obserua quod dicit scriptura: Tradidit Dominus in manus eius Cusan. Sicut enim hostis non potest uincere populum Dei nisi tradente Domino, ita nec uinci potest per populum Dei nisi tradente Domino. Igitur uictoria non est tribuenda humanæ iusticiæ, fortitudini, aut industriæ, sed diuinæ clementiæ.

ADDIDERVNT AVTEM FILII ISRAEL FACERE MALVM.)

Iterum peccant Israelitæ aduersus Dominum, iterum quoq; affligit eos Dominus, & tradit ipsos in manus Eglon regis Moabitarum. Extincto enim Othniele, extinguebatur una cum ipso etiam salus populi Israel, quippe q; post mortem eius non erat alius qui legem Domini ita urgebat, quemadmodum ipse fecerat. Vbi autem lex & uerbum Domini non urgetur, ibi omnia flagitiorum genera breui inuadere solent. Principio igitur obserua in hoc loco, iram & minas DOMINI, esse rem maxime seriã. Quod enim peccantes mox puniuntur, de

tur, declarat, impios non impune laturos sua scelera, etiam si hoc tempore supplicium eorum aliquandiu differatur. Sed inquires, an non Eglon, Moabitæ & aliæ Gentes incircumcisæ, multo peiores, aut certe æque impiæ erant atq; Israelitæ? Qui ergo fit quod D O M I N U S crudelius affligit populum suū Israelitas, quam alienos? Respondeo, Israelitæ non ideo puniuntur, quia ipsi soli fuerint impij, & aliæ gentes insontes: Omnes enim declinauerunt & inutiles facti sunt. Sed affliguntur, incircumcisis gentibus interim foeliciter uiuentibus, primum ob hanc causam, quia in Israel erat uerbum Domini, non inter gentes. Affligantur ergo peccantes in uerbum Domini, ut re ipsa comprobetur, eum uerum esse Deum, qui in Israel prædicatur, uerbum quoq; eius Dei uerum esse. Vnde & in Actis Apostolicis Ananias & Sapphira propter mendacium subita morte puniuntur, cum tamen erāt alij in Hierusalem multo his peiores, qui Iesum Christum filium Dei crucifixerant, & hi foeliciter uiuebant. Sed uoluit dominus exemplo Ananiæ & Sapphiræ authoritatem Euangelij & ministerij eius aduersus quod illi mentiebantur, declarare & confirmare, cuius rei supra quoque meminimus. Deinde affligitur populus Dei propter peccata sua ut hoc exemplo incredulæ gentes discant & admo neantur quid ipsis pro peccatis & impietatibus suis patiendum sit. Si enim Dominus tanta ira ad puniendam impietatem fertur, ut nec populo a se electo parcat, quanto minus parsurus erit gentibus ab ipso alienis? Vnde in Hieremiâ dicit Dominus Zebaoth ad gentes: Ecce in ciuitate in qua inuocatum est nomen meum, ego incipio affligere, & uos quasi innocentes & immunes eritis? Et in Ezechiele præcipit Dominus deualtatoribus Hierusalem, ut a sanctuario suo incipiant: Petrus quoq; inquit: Tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei: Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Euangelio? Huc etiam facit quod Christus ait: Si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Nunquid autem quoties populus Dei affligitur, propter peccata sua affligitur? nequaquam. Tametsi enim nullus ex suis operibus in iudicio dei iustificatur, & peccata habent etiam sanctissimi, tamen cum Deus affligit populum suum, non semper affligit eum propter peccata, sed interdum aut ad probandam fidem afflicti. Exemplum est Iob, Ioseph, Dauid, & multi alij, aut ad manifestandam & declarandam maiestatem nominis sui. Sic afflixit Israelitas in Aegypto per Pharaonem ut glorificaretur in Pharaone, & faceret sibi nomen in toto orbe clarissimum. Sic de cæco a natiuitate apud Iohannem dicitur: Neq; hic peccauit neq; parentes eius, sed ut manifestetur opera Dei in illo. Cum uero Deus affligit populum suum propter peccata, num affligit eum quia afflictionibus satis fit pro peccatis?

& passiones expiant peccata: Absit, solius enim Iesu Christi passio est satisfactio & expiatio peccatorum nostrorum. Affligit autem Deus ut afflictione peccatores ad resipiscentiam adigat. Resipiscentia autem constat primum agnitione peccati, deinde fide quod peccatum nobis sit remissum propter promissionem Dei. Ex fide autem oritur inuocatio nominis Dei. Affligit ergo Deus populum suum, ut hac uirga doceat eos clamare & inuocare auxilium diuinum. Vnde Israelitæ decem & octo annis sub Eglon rege Moabitarum afflicti sunt, donec didicerunt clamare ad Dominum ex fide. Quam primum autem clamauerunt, continuo exaudiuit eos Dominus, & misit eis saluatorem nomine Ehud filium Gera filij Iemini. Cæterum quemadmodum antea in supplicio Israelitarum declaratum est, iram & minas Dei esse res maxime serias, ita nunc in liberatione Israelitarum declaratur misericordiam & promissiones Dei esse æque serias ac maxime omnium ueraces. Ideo enim Deus irascitur, ut misericordiam largiatur, & ideo minatur afflictiones, ut ex afflictionibus populum suum clementer liberet.

QVI DEXTRAM HABEBAT INVTILEM.)

Eligitur Ehud in saluatorem Israelis, cum tamen habeat dextram inutilem, & uideatur plane incommodus, atque ad bellandum ineptus, ut liberet Israel a tyrannide Eglon. Sed hoc illud est quod Paulus in priori ad Corinthios Epistola capite primo scribit: Quæ erant, inquit, imbecillia in mundo, delegit Deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta. Quare: Vt ne gloriaretur ulla caro coram ipso. Itaque quo quis infirmior est, eo aptius instrumentum operationis diuinæ iudicandus est.

MISERVNTQVE FILII ISRAEL PER ILLVM MVNERA.)

Describitur, quo modo & qua ratione Ehud liberauerit Israelitas à Moabitis. Sed ante omnia obserua in hoc loco quomodo Deus ingritudinem Israelitarum erga legitimos suos duces & magistratus puniat. Nam his uix legitima stipendia persoluebant, cum tamen ipsis dominantibus summa pace & tranquillitate fruerentur, nunc autem necesse habent illegitimo tyranno non solum tributa dare, sed & dona mittere, quibus ipsum sibi propitium redderent. Attamen ne sic quidem ullam tranquillitatem consequerentur. Sic Deus punit ingritudinem. Si meritis non datur quod eis debetur in nomine DOMINI, necesse habent ingrati dare immeritis quod non debetur in nomine Sathanæ.

ET EHUD FECIT SIBI GLADIVM.)

Ehud prudenter admodum & astute aggreditur Eglon, ut ipsum occidat.

occidat. Sed quæ est hæc, inquires, perfidia, quæ subditus magistratum suum specie secretioris colloquij, hoc est, altera manu lapidem, immo gladium gerens, altera panem ostentans, crudeliter trucidet? Nonne Ehud seruus & captiuus fuit Eglon regis Moabitarum? Quo igitur iure licet seruo in dominum suum sic grassari? Scriptum quidem est: Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, & iudicium sibi acquirit. Item: Qui gladium accipit, gladio perit. Sed hæc intelligenda sunt de his qui resistunt potestati & gladium accipiunt priuata temeritate & absque authoritate diuina. Dominus enim Deus noster posuit hanc legem de non resistendo magistratui. Qui autem meram potestatem habet condendæ legis, is habet etiam potestatem tribuendi quibus uult personales prærogatiuas aduersus communem legem. Itaque si dominus Deus iusserit, non solum licet seruo dominum suum occidere, sed etiam necesse habet seruus Deo obedire. Ehud autem uocatus est à Domino Deo nostro ut liberet Israelitas de manu regis Eglon. Sic enim scriptura testatur dicens: Clamauerunt ad Dominum, qui suscitauit eis saluatorem uocabulo Ehud. Quod igitur gladium aduersus magistratum suum accipit, uocatione & authoritate diuina accipit. Eadem authoritate uocabantur & alij iudices, ut resisterent magistratibus suis a Domino in interitum traditis, & liberarent Israelitas iuxta Verbum Domini. Sic Iehu subditus Ioram regis Israel, diuina authoritate suscitatur aduersus regem suum ut occidat eum et uniuersam domum Ahab, & ulciscatur sanguinem seruorum Dei prophetarum. Ac tantum abest, ut quod ad hanc rem pertinet, aduersus Deum peccet, ut potius audiat a Deo: Quia studiose egisti quod rectum erat & placebat in oculis meis, filij tui usque ad quartam generationem sedebunt super thronum Israel. Vbi igitur Dominus singulari uocatione aut publicæ leges, quæ sunt diuinæ ordinationes, gladium porrigunt, ibi gladium accipere, nec est perfidia, nec latrocinium, sed obedientia, quæ necessario Domino Deo nostro debetur.

DIXITQUE VERBUM DEI HABEO AD TE.)

Quicquid excellens, admirandum & stupendum est, hoc Dei esse dicitur, unde & alibi i. Paralip. xij. dicitur: factus numerus grandis quasi exercitus Dei, hoc est, ingens, magnus & metuendus. Sic & Ehud ait se habere uerbum Dei, hoc est, aliquid admirandum, & stupendum. Oportuit autem Ehud maxima fide præditum esse dum hoc memorabile facinus aggrediretur. Habebat enim dextram inutilem, & Eglon sedebat in suo æstiuo cænaculo, regio satellitio stipatus. Et quanquam in eo cænaculo tunc solus erat, tamen uidebatur ob corporis molem & crassitudinem fortior, quam Ehud. Præterea non longe aberant satellites, qui ad clamorem eius festini accurrere, & periclitari

tem contra insidiatorem iuuare poterant. Et tanta tamq̄ presentanea pericula, alium quempiam uerbo Dei nullam fidem adhibentem, ab hoc facinore perpetrando deterruissent. Ehad autem respiciens uocationem Dei, & promissionem eius, qua Deus recepit se uocatis praesto adfuturum, & ipsos adiuturum, forti animo, & maxima fide id ad quod uocatus est, aggreditur. Respiciens autem in praesentanea pericula, non deterretur a sectanda uocatione Dei, sed potius admonetur, ut hanc rem non temerario insultu; sed prudenter & caute aggrediatur, unde primum parauit sibi gladiolum ancipitem, quem abscondit sub ter sagum in dextro femore, ne si manifeste gestetur gladiolus, insidias prodat. Deinde, oblatiis muneribus, una cum socijs abit, & ex itinere, solus, relictis post se socijs ad regem reuertitur, ut omnino nulla insidiarum suspicio concipi potuerit. Ad haec, ut eiciat satellites regis, simulat se aliquid stupendum habere, quod nulli nisi soli regi, re motis, omnibus arbitris narrandum sit, & talem uultum praese fert, quasi uellet regi nunciare, quae maxime ad salutem eius pertinent, & insidias ab alijs structas indicare. Postremo, infixam sica in uentrem regis, non reduxit eam e uentre, sed reliquit eam, et clausis anterioribus ostijs, per posticum elapsus est, ut interim dum serui falso errore ante fores caenaculi tenerentur, ipse effugeret, & exercitum Israelitarum conuocaret: postea autem deprehenso rege adhuc sicam in uulnere habente, serui plus obstupescerent, & maiori formidine corripentur. Hoc igitur exemplo discamus ut in uocatione Dei, primum nobis ob oculos ponamus, uerbum uocationis, & uerbum promissionis diuinae, quo animus noster fortitudinem fidei concipiat, illud aggrediendi quod Dominus mandauit. Deinde, reuocemus etiam ob oculos pericula quae imminere putamus, non reuocemus autem ea ob hanc causam, ut deterreant nos a uocatione Dei, sed ut reddant nos prudentes & cautos, ne temere & inconsulto id faciamus, ad quod uocati sumus. Quod si uero res ipsa prudentiam & rationem nostram superat, nihilominus tamen sectanda est uocatio Dei, & confidendum promissione sua, certa persuasione concepta, quod qui nos uocauit, & suum auxilium promisit, idem potens sit & praestare.

STATIMQVE PER SECRETA NATVRAE.)

Vide infamem ac turpem interitum tyranni. Sed Dominus uoluit hoc exemplo declarare, quam turpiter et ignominiose pereunt hi, qui populum Dei affligunt. Quamq̄ enim populus Dei mereatur, ut propter peccata a tyrannis crudeliter affligatur, tamen Dominus non relinquit crudelitatem in tyrannis impunitam. Exempla habes, in Pharaone, Nebucadnezare, & in Antiocho, deniq̄ habebis quoq̄ idem exemplum in Turca, & omnibus persecutoribus Ecclesiae.

POST

POST HVNC FVIT SAMGAR.)

Vbi uetus lectio habet (uomere) ibi Hebræus legit במלמד הבקר bemalmad Habokar. Quod græcus sic interpretatus est. ἐν τῷ ἀροσόπῳ δι τῶν βοῶν, hoc est, uomere bouum. Et indicat Augustinus uulgatam lectionem fuisse (præter uitulos bouum) iuxta hebræam igitur ueritatem legendum est, percussit de Philistiim sexcentos uiros doctrinali bouum, hoc est, κέντρον, stimulo, uel pedo, quo reguntur boues: Est autem Synecdoche, singulare, pro plurali, ut intelligas, Samgar una cum paucis pastoribus, percussisse Philistinos non gladijs, non lanceis, sed stimulis, aut pedis pastoralibus. Memorabile factum, quo significauit Dominus, quod nihil tam uile, tam abiectum, tam ineptum sit, quin fiat commodissimum & aptissimum præstandi auxiliij instrumentum, si mens sit uerbo Domini munita, & armata. Sic enim sepes lignea, fit lapideus murus, sic pedum pastorale, fit gladius acutus. Si uero mens non fuerit armata uerbo Domini, tunc murus minus munit quam sepes, ut testantur muri Iericho, & gladius in iugulum dñi sui recogitur, ut uides in gladio Goliathis, unde in Psalmo dicitur: Non saluatur rex per multam uirtutem, & gigas non saluabitur in multitudine uirtutis suæ: Fallax equus ad salutem &c.

CAPVT III.

ADDIDERVNTQVE FILII ISRAEL FACERE MALVM.)

In hac historia de Debora, iterum peccatum, iterum supplicium, iterum resipiscentia, iterum quoque liberatio nobis ob oculos ponuntur. Principio igitur obserua in hoc loco, nihil esse periculosius carnali securitate. Nam deuictis Mesopotamijs, Moabitis, & Philistinjs, uidebantur Israelitæ nullum alium hostem habituri, qui aduersus ipsos mutire auderet, & fruebantur iam tranquilla pace octoginta annis. Supra enim dictum est, terram quieuisse octoginta annis a prælijs. Ideo ducunt uitam securissimam, contemnunt uerbum Dei, & cogitant, quis potest nobis resistere? Sed ecce dum dicunt, pax & tuta omnia, excitatur hostis, iam antea non solum deuictus, sed pene etiam extinctus. Nam in Iosua capite undecimo scribitur, quod Iosua ceperit urbem Hazor, & consumpserit eam igni, percusseritque gladio regem eius Iabin. Nunc autem, uel filius, uel nepos, uel alioqui cognatus huius Iabin animum ac uires resumit, & Israelitas ita oppri-

B iij

mit, ut nulla reliqua, quantum quidem ad humanum iudicium attinet, spes sit salutis ac liberationis eorum. Non enim uidebatur quicquam ipsis auxilij in Deo situm esse, quod ipsum peccatis suis a se alienauerant. Nec ullum apud homines auxilium emicabat. Erant enim omnes finitimae gentes Israelitis infensissimae, praesertim autem hic hostis labin, cuius tyrannide premebantur, implacabilis uidebatur, quod Israelite, maiores eius trucidassent, & metropolim regni eius, nomine Hazor, igni combussissent. Tyrannis quoque eius potentior erat, quam ut Israelitae possent se suis uiribus ab ipsa uindicare. Dux enim exercitus eius habebat nongentos falcatos currus. Accedit huc, quod scriptura dicit: uendit eos Dominus in manus labin, quo uerbo significatur, Israelitas a labin non aliter tractatos, quam iumenta & pecora, quae uendi & emi, atque ad uilissima & laboriosissima quaeque ministeria deputari solent, adeoque tanta seruitute oppressos esse, ut ipsa mors multo optabilior appareret. Tanta grauitate punit Deus securitatem carnalem & contemptum uerbi sui.

CLAMAVERUNTQVE FILII ISRAEL.)

Quando clamauerunt: cum iam Siffera dux labin ipsos uiginti annis affligerat. Non igitur ante uiginti annos clamauerunt: uerisimile quidem est, eos clamasse sed ex indignatione, impatientia, execratione hostium, & nulla agnitione peccati, nullaque fide, clamor autem qui coniunctus est, cum indignatione, & execratione, & qui caret agnitione peccati & fide, non penetrat ad thronum gratiae Dei, nec est talis clamor, aut oratio, quae serio & obedienter petat auxilium diuinae clementiae, sed potius murmur est, quod tam diuturnae sint afflictiones. Non igitur exauditi sunt, usque ad uigesimum annum, quo tandem durissima tyrannide eruditi, inceperunt clamare & orare ex agnitione peccati, quod tantas tribulationes propter peccata meriti sint, & ex fide, nimirum credentes, quod Deus ipsis peccata propter semen Abrahae promissum remittat, & sit ipsos ex omnibus afflictionibus liberaturus.

ERAT AVTEM DEBORA.)

Describitur, quomodo Israelitae ab oppressione Siffaræ ducis labin liberati sint. Liberati autem sunt per mulierem nomine Deborah, quae & prophetae, & uxor Lapidoth, & Iudex fuisse scribitur. Qua in re multa obseruanda sunt. Primum enim, quod mulier in matrimonio constituta prophetae fuerit, significat coniugium rem sanctam esse, ac ijs qui in coniugio existunt spiritum sanctum contingere posse. Impij hypocritae longe aliter de coniugio sentiunt. In matrimonio enim esse, uocant in carne esse. Hac enim ratione prohibent ministris Ecclesiae legitimas uxores, quia inquit, qui in carne sunt Deo placere non possunt.

non possunt. Et addūt, Lex dicit: Sancti estote, quia ego sanctus sum. Scilicet iuxta impiam illorum hypocrisin matrimonium prophana res est, & talis, in qua nullus possit esse sanctus. Hæc quidem horrenda sunt, attamen illi sic sentiunt. Sic enim legitur in Canonibus eorū Ecclesiasticis. Deinde quod Deus eligit mulierem in propheten, in iudicem populi sui, et in liberatricem, commendatur sexus muliebris, qui hæctenus pessime audiebat propter Euam, cuius culpa etiam uiri in omnia genera afflictionum coniecti sunt. Et quia mulieribus imposta erat a Deo maledictio doloris in partu & obedientia erga uiros, uidebantur a Deo abiectæ. Præterea nullus publici honoris locus mulieribus in Repub. Israelis hæctenus contigerat, e quo suspicari quis posset mulieres, ut in hoc seculo in populo Dei, sic etiam coram deo abominabiles esse. Quare, ut Dominus declararet sibi hunc sexum non minus gratum esse, quam uirilem, eligit mulierem in propheten, iudicem, & liberatricem populi sui. Postremo mulier, uas uidelicet infirmum, fit populi Dei liberatrix, ut manifestaretur hoc opus liberationis non esse opus humanæ uirtutis, sed diuinæ clementiæ. Eligit enim, ut Paulus ait, Deus stulta & imbecillia in mundo, ut pudefaceret sapientes & ea quæ sunt robusta, ne gloriaretur ulla caro coram ipso.

QVÆ MISIT ET UOCAUIT BARAC FILIUM ABINOAM.)

Quod Debora ad Barac dicit, iuxta Hebræam ueritatem sic habetur. Nonne precepit tibi Dominus Deus Israel, uade, descende & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum &c. quæ ita sonant, ac si prius quoque Barac fuisset a Debora admonitus, ut aduersus Sisserā bellum gereret, ipse autem timore cunctatus esset ac detrectasset bellum. Itaque increpat nunc Debora Baracum & instat, ac urget, ut uocationem uerbi Domini sequatur. Vnde autem potuit Barac scire, hanc uocationem esse uocationem Domini? Multa enim erant quæ animū eius dubium reddere poterant. Primum, quia nulla uerborum pompa, sed simplicissime dicitur: Vade & descende & duc exercitum in montem Thabor &c. Deinde quia hoc uerbum dicitur a muliere, quod genus uarium est & mutabile. Adhuc, nec a uulgo Israelis, nec a potentioribus & sapientioribus eius populi pro uerbo & uocatione Domini habebatur. Præterea nullis præsentibus miraculis confirmatum erat. Postremo uidebatur mandare impossibilia. Vnde ergo potuit cognosci quod sit uerbum & uocatio Domini? Primum ex eo cognosci potuit, quia est generalibus promissionibus Dei consentaneum. Promisit enim Deus se Israelem ab hostibus suis liberaturum, & in omnibus aduersis auxiliatorem adfuturum. Deinde ex ministerio prophetiæ quo Debora fungebatur. Dicit enim scriptura, Deboram

fuisse propheten. Non autem habita fuisset prophetes, nisi in hoc munus miraculis ab initio sanctificata & inaugurata esset, aut alioqui diuina ordinatiōe in ministerium prophetie peruenisset. Quare, tamen si hoc uerbum quod ad Barac dicit, presentibus miraculis non confirmat, tamen quia ministerium eius antea diuinitus confirmatum fuit, certo cognosci potuit, hoc uerbum esse uerbum & uocationem Dei. Ad eundem modum, si quis est captiuus Satanæ propter peccata sua, & dicitur ei a ministro Ecclesie: Remittuntur tibi peccata tua, crede & liberaberis a Satana. Quo modo cognoscam hanc prædicationem esse uerbum Domini? Multa quidem sunt quæ mentem alio trahunt. Hoc em̄ uerbum dicitur mihi ab homine eque peccatore ac ego sum. Non accedunt præsentia miracula, & ego adhuc sentio peccata, aut iram Dei in conscientia, attamen ex eo cognoscitur esse uerbum Domini, primum, quia est consentaneum Euangelio de Iesu Christo, quod prædicat remissionem peccatorum gratis propter Christum per fidem. Deinde ex autoritate ministerij Euangelij. De ministris enim Euangelij dicit Christus: Qui uos audit me audit. Et, Quorum remiseritis peccata in terris, remittuntur eis in cælo.

DIXITQUE AD EAM BARAC, SI VENIS MECUM.)

Quid hoc est: an Barac magis confidit præsentia mulieris, quæ uerbo Domini? Videntur quidem hæc esse uerba incredulitatis, sed res ipsa declarat Baracum fuisse præditum magna fide, & in epistola ad Hebreos cap. xi. producit Barac in exemplum fidei, ideo sentiendū est, hæc esse fidei uerba. Non enim Barac ideo postulat, ut Debora secum proficiscatur in bellum, quia non credit uerbo Domini, sed quia credit, ideo postulat ut Debora secum proficiscatur. Primum, ut habeat ad manum propheten, per quam in tam periculosa expeditione in fide confirmetur. Deinde ut manifestum fiat, hoc opus non esse humanæ temeritatis, sed diuine uocationis.

SVRREXIT ITAQUE DEBORA.)

Confer inter se speciem exercitus Barac, & speciem exercitus Siffare, tunc nihil magis temerarium & insanum conatu Deboræ & Barac apparebit. Egreditur enim Barac in bellum tantum cum decem milibus e duabus contemptis tribubus, Sebulon & Nephthali collectis, & in hoc exercitu primas partes tenebat mulier, ex altera autem parte habebat Siffara, quemadmodum scribit Iosephus, tercentum milia armatorum, equitum decem milia, & curruum tria milia, inter quos nongenti currus falcati erant. Cum igitur alię tribus Israelis uiderent Baracum cum tam imbelli exercitu aduersus tot ac tantos hostes proficisci, quid obsecro aliud potuissent facere, quæ partim stulticiam & insaniam

infantiam Baraci riserint, partim deplorauerint publicam Israelis salutem, temeritate paucorum magis prodi quam restitui, & hac expeditione hostes plus irritari, quam superari. Sic ridet etiam nos Satan in conscientia, cum aduersus ipsum pugnam capessimus, uerbo tantum Domini armati. Quid facias, inquit? unum tantum aut alterum uerbulum habes, & speras te expugnare posse tantam potentiam, tantam sapientiam, tantam quoque sanctitatem principis huius seculi? Sic Sacramentarii rident eos, qui ex uerbo Domini docent panem coenae Dominicae esse uerum corpus Christi substantialiter. Dicunt enim: Quid? quatuor tantum nuda uerba habes, hoc est corpus meum, & confidis te his sententiam tot eruditorum & sanctorum uirorum euersurum? Sed uicissim & ipse Satan ridendus est, & uerbo Domini quantumuis nudo consistendum. Aduersus hoc enim nec portae inferi praeualebunt.

HEBER AVTEM CINAEVS RECESSERAT.)

Hoc recensetur propter ea quae de lael uxore Heber postea sequuntur. De Cinæo autem habes supra capite primo, & in priori libro Samuelem capite xv.

SVRGE, HAEC EST ENIM DIES.)

Trepidat quidem Barac ad conspectum tot hostium, sed rursus uerbo Domini confirmatur: Haec est (inquit Debora) dies, in qua tradidit Dominus Sisseram in manus tuas. En ipse est ductor tuus. Hoc igitur uerbo Barac magis animatus est, quam si multae myriades militum sese in auxilium exercitui suo adiunxissent. Proinde dum mens nostra in periculis trepidat, inquiramus uerbum Domini & reuocemus in memoriam fidei promissionem Dei. Hac enim per fidem concepta, in tantam securitatem erigimur, ut iam nos omnia pericula euasisse existimemus. Quid igitur fit, dum Sissera in conspectu haberet Baracum, magis uerbo Domini quam gladijs carnalibus munitum? Vide miraculum. PERTERRUIT DOMINVS SISSERAM ET omnes currus eius, uniuersamque multitudinem ore gladij ad conspectum Barac, in tantum, ut Sissera de curru desiliens, pedibus fugeret.

Memorable factum, quo de multis rebus ad nostri doctrinam pertinentibus admonemur. Primum, quod Dominus Deus noster in manu sua habeat omnium aduersariorum populi sui corda, & potest illa uertere quocumque uoluerit. Vult autem, ut corda aduersariorum ad conspectum eorum, qui confidunt in Domino, trepident ac desperent. Aufert igitur ab illis omnem cordis eorum fiduciam, qua ablata, arma iam magis oneri sunt quam usui, & quo plus antea de apparandis armis sollicitus fuisti, eo magis nunc sollicitus es de abiiciendis, quo expeditius fugere liceat. Deinde, quod Dominus tunc maxime opprimat hostes populi sui, dum

uidentur potentissimi ac habere uictoriam in manu sua. Postremo, quod promissiones Dei certissime sint, qua Deus recipit se populum suum in aduersis seruaturum, si non potest fieri naturaliter, certe mirabiliter, modo promissioni eius fides habeatur. Reponamus igitur hanc historiam, tanquam margaritam & unionem, ut eam in omnibus aduersis ad confirmandam fidem nostram producere queamus.

SISSERA AVTEM FUGIENS PERVENIT.)

Sissera tot peditibus, tot equitibus, tot denique curribus munitus, ad conspectum tamen Barac terretur ac fugit, & peruenit ad tentorium lael uxoris Heber Cingi. Et quia propter publicam pacem que eo tempore erat inter Iabin & Heber, sperat se illic habiturum tutum asylum, diuertit ad uxorem Heber, & non tam benignis uerbis lael, quam potu lactis recreatus abscondit se in tentorio, persuadens interim sibi, se postquam hostis abierit, breui uires suas recuperaturum, & Israelitas oppressurum. Sed ecce lael uxor Heber arripiens clauum tabernaculi infixit eum malleo, in tempus capitis Sissare, dum ipse securus sterteret, quo caput eius ita perculit, ut mox exanimaretur. Quid hec, inquires, ad nos multum per omnem modum: Considerandum enim est quis fuerit Sissara, & quo affectu exercitum suum in prelium eduxerit, ac pacem que erat cum Heber, coluerit. His deinde conferendus est exitus uitae eius, tunc enim inuenies quid nos scriptura ex hac historia docere uelit. Fuit autem Sissera uir impius, tyrannus, crudelis & persecutor populi Dei. Adhuc confusus est potentia & armis exercitus sui, multum quoque spei habebat in amicitia & foedere finitimarum gentium. Et hac fiducia inflatus, ausus fuit iniqua tyrannide populum Dei opprimere. Sed Domino uisitante impietatem eius, neque arma iuuant neque exercitus defendit, neque pax aut amicitia cum finitimis contracta quicquam adiumenti affert, sed ubi sperabat se habere tutissimas latebras, ibi a muliercula, turpissima morte interficitur. Ex hoc igitur docet nos scriptura, quod impij, qui fiducia armorum, foederum, amicitiae cum multis potentibus, aut alterius rei carnalis, iniqua conantur, turpissime confundantur, & ubi asylum sperant, ibi inueniunt prodicionem & foedum exitium. Cum autem scriptura hoc docet, monet interim nos ne impia conemur aduersus mandata dei fiducia rerum carnalium, sed ut posito ob oculos turpi impiorum exitu deterreamur ab impietate & iniquitate, ac comparemus consilia et conatus nostros ad uerbum & obedientiam Dei. Qui enim ambulat in uocatione & obedientia Dei, is potest in omnibus aduersis, quae ipsi in ea uocatione contingunt, sperare in Dominum, & inuocare nomen eius ex fide. Qui autem inuocat nomen eius, non pudefit, sed salutem consequitur. Quid autem dicendum est de lael uxore Heber, quae multis blandi-

dicis

dicis Sifferam ad suum tabernaculum allexit, & sperantem iure publica pacis ac hospitij tutas latebras, clauo per tempora infixio oppres-
 sit: Siccine licet uiolare iura publicæ pacis & hospitij? Profecto alias
 foedum & abominandum flagitium est, sub specie amicitiae hostiliter
 in hospitem grassari, & iura publicæ pacis in eo uiolare, attamē quod
 egit lael hoc loco, diuinum est strategema, & maximæ fidei opus. Ete-
 nim, quemadmodum unicuique datur ius spoliandi, & quoquo modo
 fieri potest trucidandi aduersarium imperij, quem imperator proscri-
 psit, & ut illi loquuntur, banno suo imperiali colligauit, ita omnibus
 qui Dominum Deum nostrum agnoscunt, diuinitus mandatur, ut in
 eo quem Dominus proscripsit, omnia iura, foederum, amicitiae, con-
 sanguinitatis, affinitatis & hospitij uiolent, ac ipsum quoquo modo
 licet opprimant. Exemplum habes in Leuitis, qui adoratores uituli
 prosriptos, nulla habita ratione consanguinitatis, interfecerunt, &
 audiunt: Consecrauerunt manus uestras hodie Domino, unusquisque in
 filio & fratre suo, ut detur uobis benedictio. Et in Ieremia ad percusso-
 res Moab dicitur: Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter, &
 maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine. Fuit autem Siffa-
 ra a Domino Deo nostro prosriptus, cuius proscriptionis nuncia &
 prædicatrix erat prophetes Debora, quemadmodum supra dictum
 est. Quod igitur lael in trucidando Siffera egit, non est opus inhumanae
 crudelitatis, sed diuine obedientiae. Vnde spiritus sanctus com-
 mendat eam in cantico Deboræ, & dicit: Benedicta inter mulieres la-
 el uxor Heber Cingi, & benedicatur in tabernaculis inter mulieres.
 Caeterum habes in hac muliere quantæ efficacitæ sit uera fides. Mulier
 enim natura sua formidolosum genus est, quod uix audeat armatum
 uirum aspicere, nedum ad interficiendum aggredi. Et Siffera erat eo
 tempore apud omnes finitimas gentes etiam nomine suo terribilis,
 quemadmodum hoc tempore est nomen illud Turca, uel Vuascha,
 quo nomine aiunt duces Turcæ uocari, certe in auribus nostris por-
 tentum nominis est. Nihilominus tamen, quia lael uerbo Domini,
 quo Siffera prosriptus, & in manus Barac traditus est, fidē adhibet,
 uincit imbecillitatem naturæ suæ, & ausa facinus nequaquam muliebre,
 magno & excelso animo Sifferam, quasi gallinam quandam e gallina-
 rio productam ad trucidandum aggreditur. Habes ergo fidem tantæ
 efficacitæ esse, ut naturæ imbecillitatem uincat, & ea quæ terribilia sunt
 contemptibilia reddat. Sic nos natura nostra mortem tanquam crude-
 lissimum tyrannum formidamus, & ad ipsum mortis nomen ita terre-
 mur, ut expallescamus, sed si muniamus cor nostrum uerbo Domini
 per fidem, & arripiamus eum, qui propter peccata nostra, clauis &
 malleis cruci affixus est, Iesum Christum Dominum nostrum, tunc il-

la naturæ imbecillitas facile uincitur, & quod erat ualde formidabile, fit nobis maxime contemptibile.

CAPVT V.

CECINERVNTQVE DEBORA ET BARAC.)

Post uictoriam sequitur *ἑπιμνηστικόν* seu carmen triumphale, quod composuerunt Debora & Barac ad agendas gratias Domino Deo nostro, pro beneficio uictoriæ, & instituerunt, ut publice in Israel cantetur, quo beneficium huius uictoriæ in memoria hominum conseruetur, & maiestas nominis Dei commendetur. In hoc enim carmine exponuntur res gestæ in bello isto, ut ex his nomen Domini illustretur. Nullus autem publicus cultus Domino Deo nostro gratior est, nec ullus maiori cura a spiritu sancto in scriptura requiritur, quæ ut nomen & titulus Dei glorificetur. Nomen uero Dei est primum, Omnipotens, Deinde, seuerus, postremo clemens, uidelicet, quod Deus tantæ sit potentia, ut queat omnes afflictos & abiectos homines, fidentes in ipsum seruare, aduersarios autem eorum perdere. Et quod sit tantæ seueritatis ac clementiæ, ut uelit, uelit inquam, certissime afflictos iuxta potentiam suam iuuare, & affligentes opprimere. Hæc nomina, hos titulos, hæc epitheta, uult Dominus, ut illustrentur, & publicis concionibus, carminibus, scripturis, ac quoquo modo id fieri possit celebrentur, idque uult, non sua causa. Quid enim ipse nostris encomijs eget? sed nostri causa. Primum ut impij terreantur dum audiunt, Deum esse tam seuerum & potentem uindicem peccatorum, & aduersariorum populi sui, ut nullus e manibus suis euadere queat. Deinde ut abiecti & miseri homines, partim in fide confirmantur, partim in fide confirmata conseruentur, dum audiunt, clementiam Dei longe maximam esse. Nominis enim Dei commendationem ad agendas Deo gratias pro beneficijs suis, præcipue requiri testatur spiritus sanctus in Psalm. xx. Exaltare, inquit, Domine in uirtute tua. Quod si hoc feceris, quid retribuemus tibi? Sequitur: Cantabimus & psallemus uirtutes tuas, Et Psalm. xxi. Salua me ex ore leonis, & a cornibus unicornium humilitatem meam. Quomodo ergo hoc beneficium compensabo? Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio ecclesiæ laudabo te. Item Psalm. l. Redde mihi leticiam salutaris tui & spiritu principali confirma me, sed quid pro gratiarum actione referam? Docebo iniquos uias tuas, & impij ad te conuertentur. Ad hæc Psalm. lxxvii. laudabo nomen Dei cum cantico & magnificabo eum in laude. Et placebit Deo super uittulum nouellum cornua producentem & ungulas. Præterea Psalm. cxv. Dirupisti uincula mea. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus que

retri

retribuit mihi. Sacrificabo hostiam laudis & nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi eius, in atrijs domus Domini in medio tui Hierusalem. Quid plura? totus psal-
morum liber hac doctrina plenus est, q̄ gratissimus deo cultus sit no-
men eius illustrare, non quidem si hac fiat opinione, q̄ ipsum opus,
ut uocant, operatum, sit meritum propter quod deus propitius reddatur & pct̄a expiētur. Hac enim impia opinione hypocritæ multa diuina carmina publice cantare solent in honorem, ut dicunt, Dei, sed si fiat hoc fine, primum ut mandato Dei, quo iussit nomen suum celebrare obediatur, deinde, ut hac nominis diuini glorificatione discamus timorem Dei, & fidem in Deum in omnibus aduersis. Huc enim omnes contiones & carmina in ecclesia Domini respicere dñt. Extant & alia quoq̄ exempla carminum triumphalium in scriptura, ut canticū Moli postq̄ Israēlitę incolumes per mare rubrę pertransiissent. Et canticum Hanne matris Samuelis. Item in nouo testamento canticum Zachariæ, & canticum Marię uirginis, que non sunt nisi ἐπιώνια, & gratiarū actiones pro acceptis beneficijs. Iam hic mos apud Ethnicos q̄q̄ fuit, quod post partam uictoriam instituerint publicas gratulationes & supplicationes, item dedicauerint templa deorum, quibus operibus se dejs suis gratos ostenderent, & nomina eorum clara redderēt. Atque hoc est, quod Paulus ait, gentes ueritatem in iniusticia detinere. Veritas enim est, q̄ nomen Dei debeat pro acceptis beneficijs ad gratiarum actionem illustrari. Iniusticia autem est & mendaciū, hanc gloriam non uero Deo, sed dijs factitijs adscribere, & eos pro uero Deo colere. Quāq̄ igitur Ethnici impie de dijs senserunt, tamen hæc pia est notitia q̄ nomen diuinum sit pro gratiarum actiōe illustrandum. Soli Christiani, hoc tempore, tanta ingratitude obruti sunt, ut etiam si multas & preclaras uictorias ab hostibus suis diuina clementia reportent, nullo tamen carmine nomen Dei commendent, ac beneficia dei in memoria conseruent, sed aut suas uirtutes iactant, aut rusticos exactionibus expilant, aut publica conuiuia sumptuose instituūt, interim de nomine & clementia Dei, ne gry quidem. Qui ergo fieri posset, ut Dominus tam turpem ingratitude impunitam relinqueret: sed quia hæc querela in hoc scripti genere inepta est, ad explicandum canticum Deborę & Barac reuertemur. Habet autem hoc canticū iuxta distinctionem hebræorum, triginta uersiculos.

- I. BENEDICITE DOMINO propter abominationem abominationum in Israel, propter spontaneos populi.
- II. AVDITE REGES, auscultate principes, ego Domino, ego (inquam) canam, psallam Domino Deo Israel. Hi primi duo uersiculi continent argumentum carminis, scilicet, q̄ in hoc carmine benedi-

citur, laudatur, canitur, & illustratur nomen Domini Dei Israel, benedicite, inquit, Domino propter abominationem abominationum in Israel, quod hanc habet sententiam: Qui haecenus fuerunt abominatio abominationum, hoc est, qui fuerunt maxime abominabiles, contempti & abiecti in Israel, hi, quia suapte sponte exposuerunt se periculo belli, & magna fide secuti sunt uocationem diuinam ad expugnandam Sifferam, nunc facti sunt electum organon, per quod nomen Dei commendari & benedici debet. Nam cum principes, nobiles, & preclari uiri in Israel bellum aduersus Sifferam pro fortitudine detrectarent, & uerbum Domini, ad bellum per Deborah uocantis, praecredulitate reijcerent, hi qui nullius nominis & autoritatis in duabus tribubus Naphthali & Zebulon erant, uerbum Domini fide exceperunt, & uocationem eius sponte secuti sunt, id quod carmen postea magis perspicue exponet. Cum igitur Dominus per hos ignobiles & imbelles homines clarissimam uictoriam dederit, dignum est, ut propter hos nomen Domini commendetur, & gloria maiestatis eius per illos illustretur, nimirum, quod talis sit Dominus, qui eligat ignobilia & contempta in mundo, ut pudefaciat nobiles & gloriosos, & qui deponat potentes de sede, & exaltet humiles. Ceterum Debora exhortatur praecipue reges & principes ut arrectis auribus carmen istud auscultent, quasi diceret, haecenus abiecti & miseri homines commendauerunt maiestatem Dei, in maiestate regum ac principum, ac putauerunt gloriam Dei nusquam magis relucere, quam in gloria regum & principum: praeterea existimauerunt Deum maiorem habere rationem nobilium uirorum, quam abiectorum. Nunc uero res in diuersum mutata est. Reges enim & principes debent commendare maiestatem Dei in abiectis & miseris hominibus, ac discere debent Dominum Deum nostrum nullius hominis maiorem rationem habere, quam contempti, & coram mundo abominabilis. Quare uos o reges & principes astate nunc arrectis auribus & audite mirabilia, quae Deus per abiectos homines edidit ut discatis abiectos homines non fastidire, nec ipsis insultare, sed Deum timere, & nomen dei per illos glorificare. Vbi nos legimus, propter abominationem, hebraeus habet peroa, quod significat abominationem et abiectioem, ut intelligas de hominibus abiectis, quorum auxilio Barac reportauit uictoriam. Sed quia hoc uocabulum significat etiam uindictam & ultionem, sic exponi potest, quod carmen iubeat auditores benedicere domino, propter ultionem seu propterea quod ultus sit hostes Israelitarum.

III. DOMINE DVM EXIRES DE Seir & progredieris de campo Edom, terra tremuit & caeli destillarunt & nubes destillarunt aquas.

III. MONTES FLVXERVNT coram domino, ipse Synai coram domino Deo Israel. Argumento carminis proposito sequitur narratio rerum gestarum, e quibus nomen Domini et maiestas gloriae eius illustratur.

stratur. Initium autem huius narrationis sumptum est e uerbis Mosi quæ habentur Deuteronomij capite xxxiij. Dominus, inquit, de Synai uenit, & de Seir ortus est nobis. Postea iterum usurpatum est in Psal. lxxvij, ubi sic dicitur, Deus cum egredereris in conspectu populi tui, cum pertransires in deserto, terra mota est, & cæli destillauerunt a facie Dei ipsius Synai a facie Dei Israel. Ut igitur intelligamus quid sibi uelit Debora his duobus uersiculis reuocanda sunt in memoriam ea, quæ de profectioe Israelitarum a montanis Seir in Deuteronomio capite ij, scribuntur. Circuiuimus, inquit Mose, montem Seir multo tempore, dixitque Dominus ad me: Satis circuisisti montem istum, ite contra aquilonem, & populo præcipe dicens: Transibitis per terminos fratrum uestrorum filiorum Esau qui habitant in Seir, & timebunt uos. Et paulo post: Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos qui habitant sub omni cælo, ut audita fama tua paueant, & in morem parturientium dolore teneantur. Hactenus in Deutero. Ex his uidemus Israelitas longo quidem tempore, annis uidelicet triginta octo uagabundos errasse in deserto, circa montana Seir uel terræ Edom, aut filiorum Esau (nam hæc idem sunt) non tamen magno terrori fuisse finitimis gentibus. Postquam autem Dominus iussit eos a montanis Seir recta ad terram Canaan proficisci, tunc demum omnes finitimæ gentes tanta formidine obrutæ sunt, ut ad nomen Israelis non aliter exhorruerint, quam si districtus gladius ceruici earum immineret, Domino sic illas exterrente, quo Israelitæ sese tuto ad terram Canaan recipere possent. Huc igitur respicit Debora cum canit: Domine cum exires de Seir, & progredereris de campo Edom, hoc est, cum ex mandato tuo Israel populus tuus, te comite, te defendente, te ducente, & una cum ipsis proficiscente, a montanis Seir circa quæ longo tempore uagati erant, abiret, & ad terram Canaan iter suum institueret. Quid factum est: terra tunc tremuit, cæli destillarunt, & nubes destillarunt aquas, montes quoque fluxerunt. Hac metaphora describitur ingens horror, quo finitimæ gentes ad conspectum Israelis comprehensi sunt. Nam sicut in terræmotibus, quibus etiam altissimi montes concutiuntur, et in horrendis pluuiarum ac uentorum tempestatibus, homines magnis terroribus corripuntur, ita factum est inter gentes eo tempore quo Israelitæ relinquentes montana Seir, ad terram Canaan profecti sunt. Gentes enim non aliter territæ sunt quæ si grauissima tempestas toti orbi exitium minaretur. Atque adeo Edomitæ, Moabitæ, Ammonitæ, & aliæ gentes quæ uidebantur fortissimæ, terra illa sunt quæ tremuit, & montes qui fluxerunt. Coram quo? Coram Domino, inquit, coram Domino Deo Israel, hoc est, coram populo Israel imbelli quidem & inermi ac nudo, quan-



tum ad externam speciem attinet, sed habēte secum Dominum Deum nostrum. Hic igitur tam terribilis & formidabilis in populo suo apparuit ut ad conspectum eius gentes animum suū desponderent. Nec in hac tantum profectioe, uerumetiam longe ante in monte Synai exhibuit Dñs sese ualde terribilem. Cum enim daturus esset Mosi legem, coeperunt audiri tonitrua, micare fulgura, & nubes densissima operire montem, totusq; mons Synai fumabat. Quare quia descenderat Dominus Deus super eum in igne. Vnde populus Israel in tantū timuit ut dicerent ad Mosē: Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dñs, ne forte moriamur. Hęc igitur duo exempla narrat Debora in carminis sui initio, ut quia recepit se maiestatem & gloriā nominis Dei commendaturam, proponat eam in rebus gestis conspiciendam. Primum autem apparet in his seueritas irę Dei contra aduersarios suos, deinde clementia Dei qua populum suum defendit mirabiliter. Cum uero ista de Deo prædicantur, docetur timor Dei & fides in Deum, quę in primo præcepto a nobis exiguntur, & quę sunt cultus Deo acceptissimus.

V. IN DIEBUS SAMGAR filij Anath, in diebus Iael cessaauerant uig, et qui debebāt incedere in semitis, ambulabant p̄ uias deuias

VI. CESSAVERANT rustici in Israel, cessaauerant donec surrexi Debora, surrexi mater in Israel.

VII. ELEGIT Deus noua, expugnauit portas, si uisum est scutū, & hasta apud quadraginta milia in Israel.

A narratione rerum superioribus annis gestarum transit ad expositionem eius negocij, quod pauloante in bello contra Siffaram gestū est, propter quod hoc carmen compositum est, ut ex eo maiestas diuini nominis commendetur. Est autem sensus, Non in monte tantum Synai, nec in ea solum expeditione, qua Israel a montanis Seir ad terram Canaan profectus est, uerumetiam hoc tempore in uictoria, quam a Siffara & Canangis reportauimus, declarauit DOMINVS Deus noster maiestatem nominis sui. Ante hos em̄ dies quibus Samgar (de q̄ in priori capite dictum est) Iudicem in Israel egit, & Iael uxor Heber (quę honoris causa hic nominatur, digna uidelicet, ob strategema suum, ut tempus quo ipsa uixit secundum nomen eius computetur, sicut aliās distributiones temporis iuxta nomina potentissimorum monarcharum computari solent) etatem uixit, his inquam diebus, miserrima erat facies Reip. Israeliticę. Tyrannus enim Siffara tantis malis afficiebat Israelem, ut cessarent uig, & rustici, hoc est, ut nullus ciuis tuto negociandi causa peregrinari, nullus uiator recta proficisci, nullusq; rusticus secure agros suos colere auderet. Quicunq; uel tantum ex urbe aut uilla sua prospiceret, mox arripiebatur a latronibus Siffarę, & tan

¶

quam iumentum alijs gentibus diuendebatur. Possunt & uig intelligi pro ordinationibus ciuilibus, & incedentes in semita pro magistratibus. Et tunc est sensus, His diebus tanta fuit calamitas in Israel, ut propter crudelitatem Siffaræ nec magistratus potuerit defendere populū suum, nec ulla ciuilibus disciplina seruaretur, nec potuerint rustici agriculturam suam exercere. Quid autem miserius in republica, q̄ ubi nec magistratus, nec ciues, nec rustici suę uocationi seruire possunt? Certe ea non est Respublica, sed turba & calamitas publica. Ac talis quidem fuit status populi Israelitici, donec ego (inquit) Debora surrexi, quæ sicut mater pro liberis suis curat, ita ego pro Israelitis curauit, ut haberent Deum propitium, ut audito uerbo DOMINI arma arriperent, & clementia Dei e tyrannide Syffaræ liberarentur. Atque id quidem præstitit DOMINVS nouo quodam modo. Primum enim ad liberandum Israel elegit, non ferocem quendam bellatorem, sed mulierem Deboram, quæ non solum adnunciando, urgendo & inculcando uerbum Domini, aliquot Israelitas ad bellum excitauit, sed etiam una cum militibus in bellum profecta est. Deinde elegit non multos nobiles, sed paucos quosdam abiectos in Israel, per quos dedit uictoriam, & expugnauit portas ac munitas urbes hostium. Nam q̄ dicitur: Si uisum est scutum & hasta apud quadraginta milia in Israel. Iurantis est, quemadmodum alias: Si Dauid mentiar. Et est sensus, DOMINVS dedit uictoriam non per multos nobiles, sed per paucos abiectos. Nam maior Israelitarum pars eo tempore quo pauci illi in bellum proficiscebantur, tanta formidine correpti erant, ut nec scutum nec hastam manu contingere & aduersus hostem leuare auderēt. Tantum enim decem milia Israelitarum profecti sunt cum Debora & Barac in bellum. Hic autem dicit, nec scutum nec hastam apud quadraginta milia in Israel uisa esse, qui numerus longe superat decem milia. Intelligit igitur maiorem Israelitarum partem timidiorem fuisse, quam ut ausi fuerint ad bellum proficisci. Quid ergo? certe nomen Domini prædicatum est, quod Deus tantæ sit clementiæ, ut non despiciat paucos & abiectos, sed liberet per eos, oppressos, & reportet mirabilem uictoriam. Vnde sequitur:

VIII. COR MEVM ad Iudices Israel, & ad principes in populo.

Benedicite Domino.

IX. QUI VEHIMINI nitidis asinis, qui sedetis super thronum, & qui inceditis in uia, meditemini.

X. PROPTER VOCEM sagittantium inter aquatores, ibi narrentur iusticiæ Domini, iusticiæ rusticorum eius in Israel, tunc dominatus est populus Domini in portis.

Ingens est clementia Dei & inenarrabilis misericordia eius, qua

populum suum a crudelitate hostium per paucos & abiectos liberauit. Quare hoc unum desyderat cor meum, immo non meum, sed spiritus sancti, ut uos omnes in Israel benedicatis Domino, & maiestatem nominis eius commendetis. Primum admoneo uos Iudices & principes in populo, qui in itinere magno satellitio comitati, in nitidis asinis equitatis, & in thronis regalibus magna maiestate ad iudicandum populum sedetis, admoneo preterea uos qui inceditis in uia (hoc est) uulgum, ut nomen Domini laudetis & meditemini (hoc est) ut ponatis nomen Dei in cordibus uestris, & sit memoriale inter oculos uestros, ut loquamini de eo quando sedetis in domibus uestris & ambulatis in uia, quando cubitum eatis & iterum surgatis. Breuiter, maiestas nominis Dei, sit & cogitatio & sermo & actio, & somnus & uigilia uestra. Quamobrem propter uocem sagittantium inter aquatores. Vt haec intelligamus, obseruandum est, quod hoc praelium quo Debora & Barac reportarunt uictoriam a Siffera, commissum est iuxta torrentem Kison: supra enim dixit Debora: Ecce, adducam ad te Sifferam in loco torrentis Kison. Et postea sequitur: Torrens Kison deuoluit eos. Iaculatores autem dicuntur hostes Cananaei quos Siffera adduxerat, ut iaculis suis Israelitas conficerent. Aquatores uero pro locis sumuntur, ubi aquatores haurire solent e torrente aquam. Est igitur sensus, admoneo uos omnes, ut commendetis nomen Domini, propter clamorem & miserum eiulatum hostium, quo suam calamitatem iuxta torrentem Kison deplorauerunt. Venerant autem hostes ut in eo loco Israelitas opprimerent, & maiori quam antea calamitate afficerent, sed ecce rerum uices in diuersum mutatas. Dominus enim ad conspectum Barac & exercitus eius ita ipsos exterruit, ut proiectis iaculis suam calamitatem magno eiulatu deflerent, & aquis torrentis Kison obruerentur. Narranda igitur est & cantanda iusticia Domini, quam illic iuxta torrentem Kison per rusticos, per paucos & abiectos in Israel declarauit. Haec autem est iusticia Dei, quod iuxta uerbum suum primum retribuatur impijs secundum impietatem ipsorum, deinde misereatur piorum, & seruet eos secundum fidem eorum, ac det eis uictoriam super hostes suos. Itaque praedicandum est de Deo quod sit seuerus aduersus impios, ut discamus timorem DOMINI, et quod sit clemens in eos qui confidunt in ipsum, ut discamus fidem.

XI. SVRGE surge Debora, surge surge, dic canticum. Surge Barac, & cape captiuantes te filij Abinoam.

Repetitio huius uerbi, Surge, ardorem et uehementiam significat. Maiestas enim nominis diuini non frigido affectu, sed ingenti spiritus ardore decantanda & celebranda est. Quamobrem quia nomen Dei ideo decantandum est ut auditores excitentur, incendantur, & inflammentur

mentur ad timorem Dei, & fidem in Deum. Quem autem inflamma-
bit is, qui ipse nec calet, nec ardet. Ceterum, q̄ dicitur ad Barac: Cape
captiuantes te, figurate iuxta phrasim carminibus propriam dictum
est, pro eo quod simpliciter diceretur: Surge Barac, & decanta glori-
am Dei, quia cepisti captiuantes te. Commendatur autem potentia &
clementia Dei, q̄ captiuis tradat captiuantes, ut qui in Deum confi-
dunt, & multa aduersa in uocatione Dei ab impijs patiuntur, possint
hinc fidem suam confirmare, & habeant in aduersis consolationem,
certa persuasione concepta, q̄ afflictiones ab ipsis in caput impiorum
affligentium ipsos, redundaturæ sint.

XII. RELIQUIAE dominatæ sunt superbis populi, Dominus
dominatus est robustis.

XIII. EX EPHRAIM fuit radix eorum contra Amalec, post te
Benlamin in populo tuo, ex Machir preualuerunt doctores, & ex Ze-
bulon fuerunt tendentes arcum calamo scribæ.

XIII. ET PRINCIPES in Isaschar fuerunt cum Debora, & Isas-
char erat sicut Barac in ualle, missus cum peditibus suis, dum separa-
ret se Ruben (a nobis) superbus mente cordis sui.

XV. QVARE mansistis in tugurijs, cum audires clangorem gre-
gis, cum separaret se (a nobis) Ruben superbus mente cordis sui.

XVI. GILEAD VLTRA IORDANEM māsit, et quare Dan
commoratus est inter naues? Asser habitabat in portu maris & com-
moratus est in macerijs suis.

XVII. ZEBVLON populus despondit animam suam morti, &
Naphthali in summitate campi.

Commemorat Debora in his uersiculis carminis sui, per q̄s Dñs
uictoriam contulerit, & quæ tribus Israel in exercitu Barac fuerint, &
quæ pre timore abfuerint. Reliquiæ, inquit, dominatæ sunt super-
bis populi. In exercitu Barac non fuerunt nisi reliquiæ Israelis, hoc
est, paucissimi & abiectissimi homines, qui uidebantur bello inuti-
les esse, hi tamen superauerunt hostem superbissimum, & maxime
formidabilem. Sed ut rectius loquar, non ipsi sua uirtute, sed Do-
minus per eos uicit aduersarios longe omnium robustissimos. Quan-
to igitur præconio gloria Domini decantanda est? Quod autem se-
quitur: Ex Ephraim fuit radix eorum, D. Lutherus ὁ σῦλος ἐν τῇ τοῦ
κυρίου ἐκκλησίᾳ, in adnotationibus suis sic explicat, q̄ Iosua primus fue-
rit princeps e tribu Ephraim, qui superauit Amalecitas, quemadmo-
dum scriptum est in Exodo capite xxvii. & post hunc ex alijs quoque
tribubus principes fuerunt, donec etiam in tribu Zebulon exortus sit
Iosua quispiam contra Sisseram: bona & apta sententia. Sed quid si &
ita intelligi possit, q̄ hic uersiculus canat de Debora. Hec enim habi-

tauit, quemadmodum supra scriptum est, in monte Ephraim, & prima omnium tum predicando uerbum Domini, tum urgendo et admonendo excitauit Baracum & reliquos Israelitas, ut arma caperent aduersus Sifferam. Nam q̄ in hoc uersiculo dicitur contra Amalec, sub nomine Amalec intelligendi sunt Cananei, quorum dux fuit Sissera, propterea q̄ Sissera multos Amalecitas in exercitu suo habuerit. Et alias quoq̄ scriptura coniungit Cananæos & Amalecitas. In Numeris capite xiiij. dicitur: Amalecites & Cananæus habitant in uallibus. Et mox. Amalecites & Cananæus ante uos sunt. Adhæc in priori libro Samuelis cap. xv. Cinæi habitant inter Amalecitas. In hoc autem libro in præcedenti capite scribitur: Inter Iabin regem Cananæorum, & Heber Cinæum pacem fuisse. Ex quibus omnibus colligitur, Cananæos, (quorum rex fuit Iabin, & dux Sissera) atq̄ Amalecitas in una regione habitasse, & Amalecitas in exercitu Sissaræ fuisse. Radix igitur eorum Israelitarum qui arma mouerunt aduersus Sifferam, ducem Cananæorum & Amalecitarum, fuit Prophetes Debora, quæ cum habitaret in monte Ephraim, prima omnium author fuit, ut Israelitæ arma caperent contra Sifferam. Deinde nonnulli e tribu Benjamin adiunxerunt se exercitui Barac, post illos uenerunt in exercitum Barac doctores legis ex Machir, hoc est, e tribu Manasse e familia Machiritarum: nam Machir fuit filius primogenitus Manasse. Quamq̄ hi doctores uidebantur aptiores ad tractandos libros, quam ad gestanda arma, tamen fortissime pugnantes præualuerunt hostibus Cananæis. Adhæc e tribu quoq̄ Zebulon adiunxerunt se Baraco scribæ quidam, qui etsi assueti fuerunt pro arcu & hasta, calamum scriptorium gestare, tamen in hoc bello defuncti sunt officio fortium et strenuorum militum. Præterea fuerunt cum Debora & Barac in hoc bello principes aliquot una cum peditibus suis e tribu Issachar, qui uirtute fortitudinis suæ ipsum Baracum huius militiæ ducem æquabant in ualle. Barac enim pugnaturus aduersus Sifferam duxit exercitum suum de monte Thabor, ut supra scriptum est, ad uallem torrentis Kison, in ea igitur ualle exhibuerunt principes Issachar ingens fortitudinis suæ specimē. Maxima autem pars huius exercitus, cōgregati sunt e tribu Zebulon & Naphthali. Harum enim tribuum populus sua sponte profectus est una cum Debora & Barac in summitatem campi, hoc est, in montē Thabor, ut illic expectaret incursionem Sissaræ. Hoc autem quid aliud fuit, quam sese sua sponte morti offerre, & animam suam morti tradere? Tam fortis em̄ & tam crudelis erat hostis Sissera, ut qui aduersus ipsum proficiscebatur in presentaneā mortē proficisci uidebatur. Atq̄ hæc fuerunt tribus, e quibus aliqui adiunxerunt se exercitui Barac, uidelicet Ephraim, Benjamin, Issachar, Zebulon & Naphthali.

Ac

Ac honoris gratia in hoc cantico commemorantur ut ex commendatione fortis eorum fidei, qua hostem aggressi sunt, primum agnoscat nomen clementiæ & potentiæ diuinæ, qua Deus abiectos homines admirandis donis illustrat, & infirmos fortiter adiuuat. Deinde ut hoc exemplo admoneamur ad capeffendam fidei fortitudinem in sectanda uocatione Dei. Omnis enim qui fidit DOMINO, non pudebit. Sed in his uersiculis recitantur etiam ille tribus Israel, quæ partim ex incredulitate, partim arrogantia & contemptu, partim ignaua formidine non adiunxerunt sese exercitui Barac. Primi igitur Rubenitæ, quanquam audirent gregem, hoc est, populum Israel clangore buccinæ ad bellum conuocari, noluerunt tamen in militiam proficisci, sed separantes sese ab hac uocatione Dei, manserunt in tugurijs suis. Meminit autem Debora ideo tuguriorum Ruben, quod Rubenitæ multa pecora habuerint, & fuerit illis in iumentis infinita substantia, quemadmodum in numeris capite tricesimo secundo scriptum est. Quare autem separauerunt sese Rubenitæ ab hac profectioe & manserunt in tugurijs suis, additur. Superbi mente cordis sui. Ex arrogantia recufarunt hanc militiam. Existimauerunt sibi dedecori esse, si unacum muliere, & tam abiectis hominibus in bellum proficiscerentur. Deinde Gileaditæ quoque ultra Iordanem in sua regione manserunt, nec uoluerunt esse belli huius socij. Adhuc tribus Dan & Affer, qui habitauerunt iuxta mare, quemadmodum habes Iosua capite decimo nono, manserunt inter naues suas, quæ ipsis maiori cure fuerunt quam salus populi Israel. Hæ igitur sunt tribus & familiæ, uidelicet, Ruben, Gilead, Dan, & Affer, quæ hanc militiam siue incredulitate, siue arrogantia, siue timore detrectarunt. Et commemorantur in hoc carmine, ut proposita ob oculos turpitudine horum uitiorum, discamus euitare & uirtutes fidei sectari.

XVIII. VENERUNT reges, & pugnauerunt, pugnauerunt reges Canaan in Thaenach ad aquas Megiddo, uerum prædam argenti non reportarunt.

XIX. DE COELO dimicatum est (contra eos) stellæ de semitis suis dimicauerunt contra Sifferam.

XX. TORRENS Kison deuoluit eos, torrens Kedumin, torrens Kison, conculca anima mea robustos.

XXI. TVNC trepidauerunt ungule equorum percussis fortibus, equitibus.

Post descriptionem exercitus Israelitarum, describitur incurfio hostium in fines Israeliticos, ac primum quidem ostendit hostes magna uiriū suaræ fiducia in bellū aduersus Israelitas profectos esse, adeoque magna spe prædæ encomium ante uictoriam cecinisse. Deinde aut turpissime confusos ac diuinitus oppressos esse, Venerunt, inquit, reges

Canaan, hoc est, regij exercitus Cananæorū Thaenach ad aquas Megiddo. Porro de Thaenach & Megiddo habes in Iosua capite xij. & xix. Et fuerunt urbes in tribu Manasse. Res autem ipsa declarat quod non longe sitæ fuerint a monte Thabor, ad quem Barac cum exercitu suo profectus erat. Ad has igitur uenit Siffera cum exercitu suo, certa persuasione ex multitudine uirium suarum concepta, quod non ad prælium, sed potius ad prædam ueniret, tam certo sibi uictoriam super Israelitas pollicebatur. Sed ecce spe sua in tantum frustratus est, ut ipse magis præda Israelitarum factus sit, quam ut prædam ab ipsis reportauerit. Nam de cælo dimicatum est contra Sifferam & exercitum eius, & omnes stellæ in cælo decurrentes aduersum ipsum pugnauerunt. Iosephus scribit, quod congregantibus Cananæis cum Israelitis, maximus imber ortus sit, & multa aqua una cum grandine in faciem Cananæorum ueniens ita adacta sit, ut arcus & fundibulæ eorum inutiles fierent, & armati præ frigore gladijs uti non ualerent. Que tamen tempestas Israelitis plane nullum incommodum attulerit. Hæc Iosephus, sed fides sit penes authorem. Nos simpliciter intelligemus de cælo aduersus Sifferam pugnatum esse, quia Dominus (ut supra scriptum est) in cælo habitans, perterruit Sifferam & omnes currus eius uniuersamque multitudinem ore gladij ad conspectum Barac. Et quod etiam stellæ dicuntur pugnasse aduersus Sifferam, faciem prouerbialem habet, significans nullam prosperam fortunam a parte Siffaræ stetitisse. Nam quoties etiam nobis nulla fortuna arridet, dicere solemus, nulla stella mihi lucet, aut stellæ etiam mihi resistunt, quo significamus, omnes creaturas tam terrestres quam cælestes nobis exitium minari. Sed ut aduersa fortuna exercitus Siffaræ plenius explicetur, sequitur: Torrens Kison deuoluit eos. Tanta enim clade affecti sunt Cananæi a paucis Israelitis, ut non solum gladio eos interfecerint, sed etiam compulerint in torrentem Kison, aut Kedumim (existimo enim hunc torrentem binominem fuisse, aut alium torrentem nomine Kedumim in hunc influxisse) ut in illum saltantes, aqua obruti fuerint, & cadauera eorum aquis torrentis hinc inde in morem truncorum deuoluta sint. Quod autem hic additur, Conculca anima mea robustos, iterum iuxta phrasim carmini propriam, pro eo dictum est, magna uoluptate in animo meo afficior, quod robusti illi, impij, superbi, fiducia uirium suarum inflati, & populo Dei internitionem crudeliter minitantes, tam turpiter conculcati sint, ac perierint, ut facti sint esca piscium et uolatilium. Atque hoc cantatur in isto carmine, non quia liceat carnaliter insultare aduersitatibus hostium, & gaudere de malis inimicorum. Precipitur enim nobis, ut diligamus inimicos nostros, & bene precemur deuentibus nos. Et miseri non sunt alia miseria contristandi, sed quia his uerbis

uerbis exprimitur gaudium spiritus sancti, quo pii exultant, ac coram Deo gestiunt, si quando Dominus reuelat maiestatem nominis sui, et ueritatem promissionum suarum, in opprimendis aduersarijs suis, & liberando ac seruando populo suo. Vnde Psal. lxxvij. Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius & fugiant, qui oderunt eum a facie eius. Sicut deficit fumus, deficient, sicut fluit cæra a facie ignis sic pereant peccatores a facie Dei. Et iusti epulentur & exultent in conspectu Dei, & delectentur in leticia. Quod autem non homines, sed Deus ipse aduersus Sifferam pugnauerit, uel hinc cognobile est, quod tunc non solum fortissimi equites, sed etiam ipsi equi in exercitu Sifferæ, ad conspectum Barac trepidauerint. Hoc illud est, quod in Psalmo septuagesimo quinto dicitur: Ab increpatione tua dormitât & equus & eques, Tu terribilis es, & quis resistet tibi quando irasceris? Cum de coelo adnuncias iudicium, terra tremuit & quiescit:

XXII. MALEDICITE Meros, dixit angelus Domini, maledicite maledictione habitatoribus eius, quoniam non uenerunt ad opitulandum Domino, ad opitulandum Domino ad heroes.

XXIII. Benedicta inter mulieres lael uxor Heber Cinæi, benedicatur in tabernaculo inter mulieres.

XXIII. AQVAM potenti lac dedit, in phiala splendida obtulit butyrum.

XXV. MANVM suam ad clauum extendit, & dextram suam ad malleum fabrilem, & percussit Sifferam, contudit caput eius, perforat & perforauit tempora eius.

XXVI. Ante pedes eius curuauit se, cecidit, iacuit, ante pedes eius curuauit se, cecidit, cum curuasset se, cecidit illic interemptus.

XXVII. Mater eius prospexit per fenestram, & fleuit per cancellos, cur moratur redire currus eius, cur morantur rotæ currus eius.

XXVIII. SAPIENTISSIMA uxor eius respondit et dixit ad eam.

XXIX. Nonne inueniunt & diuidunt spolia, singulis iuenculas aliquot ad prædam, & Siffaræ uestes uario colore & acu pictas circa collum ad prædam?

Meros, cui hic maledicatur, urbem fuisse non longe a monte Thabor, ubi aduersus Sifferam pugnatum est, ex hoc loco facile cõjci potest. Maledicatur autem ipsa & habitatores eius, q̃ non tulerint auxilium Domino. Primum igitur ex hoc exemplo obseruandum est, q̃ nō solum resistere ambulanti in uocatione Dei, sed etiam non adiuuare, non ferre opem ei peccatum sit maledictioni obnoxium. Quantum igitur suppliciorum manet persecutores sectantium uocationem Dei, tantum etiam manet eos qui pro uirili sua non adiuuant sectantes uo-

cationem Dei. Deinde cum dicitur: Non uenerunt ad opitulandum Domino: adnotandum est, quod auxilium quod prestat ambulantibus in uocatione Dei computetur tanquam ipsimet Domino Deo nostro prestitum. Non quidem eget Dominus, quantum ad ipsius potentiam attingit, ullius hominis auxilio. Quam autem attinet ad uoluntatem & preceptum eius, eget hominum auxilio in omnibus uocationi suae seruientibus. Sic esurit quoque Dominus, non quidem in se, sed in esurienti populo suo. Sic nudus incedit in paupere. Sic infirmus est in infirmis. Esuriui, inquit apud Mattheum, & dedistis mihi edere: sitiui, & dedistis mihi bibere. Et addit: Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Postremo, iubet spiritus sanctus in hoc uersiculo maledicere urbi Meros & habitatoribus eius, non ut doceat nos priuata temeritate & libidine conuictis aduersarios nostros aut eos qui nos ope sua in periculis destituunt, proscindere. Iubet enim Christus inimicos diligere, & benefacere ijs qui nos odio prosequuntur, sed ut e maledictione quam spiritus in eorum caput congerit, qui derelinquunt in periculis sequentes uocationem Dei, admoneamur officij nostri, & discamus non tam ipsi uocationem Dei sectari, quam sectantes pro uirili adiuuare. Contra uero benedicuntur auxiliatrix lael uxor Heber. Et in his uersiculis qui sequuntur, hypotyposi quadam subiicitur: primum, gestus mulieris lael, quo Sifferam occidit. Aquam (inquit) petenti lac dedit, & obtulit in splendida phiala butyrum, hoc est, lac adhuc integrum, nondum in butyrum expressum. Sinistram manum extendit ad clauum, dextram ad malleum fabrilem: Quibus uerbis ponitur nobis ob oculos, non tam gestus huius mulierculae quam fides eius, cuius fortitudine haec omnia egit. Deinde subiicitur etiam gestus Sissarae, dum interimeretur, curuauit se, cecidit, iacuit, iterum curuauit se nunc ad hanc, nunc ad illam partem. Tales enim sunt gestus eorum qui uolentia moriuntur. Sub his autem gestibus proponit nobis spiritus sanctus turpitudinem confusionis impiorum: Quid enim strenuo duci, qualis uisus est Sissera, turpius, quid foedius quam a muliere interimi, & coram ipsa curuari, cadere & interemptus iacere? At nec foelicio, nec gloriosior interitus manet omnes impios. Postremo ob oculos quoque ponitur sollicitudo et spes muliercularum de Sissera. Mater Sissarae describitur mirari tarditatem reditus eius, & prospicere per fenestras & cancellos, ac lamentari quod Sissera tanto tempore non redeat. Pro materno uidelicet affectu timens ne quid aduersi filio suo in prelio acciderit. Nam quo magis propitij sunt liberis suis parentes, eo tristiora sibi de liberis, si uspiam absint, aut cessauerint, fingunt. Contra uero uxor Sissarae, quae sibi alijs eius uxoribus prudentior uidebatur, describitur increpare matris pusillanimitatem, & aliam cessationis

cessationis

cessationis causam fingere, uidelicet, q̄ Sissera sit occupatus in distri-
buendis spolijs, & singulis quidem centurionibus iuenculas aliquot
Hebræas in prædam det, sibi autem seruet uestes acu pictas & uarie-
gatas, ut eas uxoribus suis dono afferat. Hæc autem ideo in hoc carmi-
ne commemorantur, ut spiritus irrideat uanam sollicitudinē & spem
impiorum, ac ostendat, impijs euenire quæ timent, & fallere quæ spe-
rant. Mater Sissaræ timet ne filius eius in prælio occubuerit, & quod
timet accidit ei. Vxor sperat maritum Sisseram uestes uariegatas do-
mum relaturum. Sed ecce, iacet ipse interemptus, ueste suo ipsius san-
guine uariegata.

XXX. SIC PEREANT omnes inimici tui Domine, diligentes
autem eum, sint sicut sol oriens cum dominatur.

Epiphonema est, ad finem carminis adiectum quo paucis explica-
tur, quid sibi uelit totum carmen. Docet enim hoc carmen in summa,
q̄ sicut impius Sissera crudeliter & turpiter seueritate Dei perijt, Isra-
elite autem qui crediderunt Verbo DOMINI, & secuti sunt uocati-
onem Dei, quamuis pauci & contempti, gloriose tamen clementia
Dei seruati sunt, & impium hostem magna laude uicerunt, ita peritu-
ri sunt seueritate Dei omnes impij, qui Dominum non requirunt, &
uerbum ac populum DOMINI persequuntur. Pij autem, qui dili-
gunt Deum, hoc est, qui credunt Verbo Dei, & sequuntur uocationē
eius, erunt sicut sol oriens, cum dominatur, hoc est, erunt felicissimi
& clarissimi. Sicut enim sol tunc clarissime lucet, cum post exortum
ad meridiem peruenerit (hoc enim dicitur dominium solis in hoc lo-
co) ita omni genere felicitatis & claritudinis afficientur hi qui Ver-
bum DOMINI ex fide sequuntur. Huc pertinet illud, quod in Psal-
mo octuagesimo secundo canitur: Ecce inimici tui sonuerunt, & qui
oderunt te extulerunt caput. Et mox: Fac illis sicut Midian & Sissaræ,
sicut Iabin in torrente Kison &c. Habes ergo in hoc carmine canta-
tam & commendatam, primum, seueritatem Dei erga impios, ut dis-
camus timorem Dei. Deinde clementiam Dei erga abiectos & credē-
tes uerbo eius, ut discamus fidem in omnibus aduersis nostris.

CAPVT VI

FECERVNT AVTEM FILII ISRAEL MA-
LUM.)

Recte uocat Mose in carmine suo Israelitas generationem prauam
atq̄ peruersam. Quid enim magis peruersum q̄ q̄ quadraginta an-
nis tranquilla pace, clementia Dei fruebantur, in tot tamen annis non

hoc discebant, ut Domino Deo suo gratias agerent, sed potius deficiebant à uerbo Dei ad impietatem idololatriæ. Tolerabile autē esset, si hæc iniquitas in solis Israelitis inueniretur. Nunc uero res in tam malo statu sunt, ut in Israelitis exprimatür ingenium omnium fere hoim, et quod de peruersitate Israelitarum scribitur, hoc non minus in omni hominum genere inuenitur. Rebus em̄ prospere succedentibus, obliuiscuntur homines Domini Dei sui, contemnunt uerbum eius, & deficiunt ad aliena sacra, quæ instituunt & obseruant ad iustificandum se, & ad demerendam gratiam Dei, interim mandata dei sine oī timore præuaricantes. Quid igitur peius esse potest hoim malicia, qui non solum malis & aduersis, sed etiam bonis & prosperis rebus male ac infœliciter abutuntur. Dominus autē Deus noster non fert inultam tantam ingritudinem et impietatem. Proinde sequitur de Israelitis: Tradidit illos Dominus in manu Midian septem annis, & oppressi sunt ualde ab eis. Si enim nolueris Dño obedire in rebus foelicibus, necesse habes ei obedire in rebus infœlicibus. Et si nolueris facere coram Domino quod iustum & equum est, cogaris pati ab aduersarijs quod iniustum & iniquum est. Audiamus igitur quæ iniqua crudelitate & tyrannide Israelitæ a Midianitis & alijs hostibus suis opprimantur. Primum, Midianitæ, Amalecites, & ceteri orientalium nationum innumera multitudine, tum hoim tum camelorum in fines Israeliticos incursum faciant, ac quicquid obuium est, perdunt & deuant. Deinde omnes segetes, ut erant in herbis, conculcāt. Postremo nullum pecus, nec oues nec boues nec asinos in Israel relinquunt. Quid hoc latrocinio crudelius, quid iniquius. Voco autem hanc crudelitatem iniquam, non quia hæc calamitas Israelitis iniuste accidebat, propter scelera enim sua longe atrocius supplicium meriti erant, sed quia hostes impij erant, & quod ad ipsos attinebat, nihil habebant æqui iuris aduersus Israelitas, sed bellabant contra eos odio tantum & inuidia, & affectu proferendi fines imperij sui, prorsusque extirpandi Israelitas. Hæ autem gentes pulchre adumbrant animum & affectum Satanæ erga populum seu Ecclesiam Dei. Tanto enim odio in eam fertur, ut omnes creaturas & omnia genera calamitatum ad internitionem eius excitet. Sed quomodo Israelitæ tanto huic malo obuiam eunt. Fecerunt, inquit, sibi antra & speluncas in montibus & munitissima ad repugnandum loca. Nunquid ergo per hæc tuti sunt ab hostibus. nihil minus. Quo enim plus illi sese in antra condunt & ad arces confugiunt, eo ferocior instat hostis, eoque maiori multitudine regionem Israelitarum deuant. Quid ita. quia etsi effugeris externum hostem in antrum aut arcem, non tamen effugies iram Dei quæ te propter peccata tua, quocumque fugeris, sequitur. Irato autem Deo, uires hostis à Deo excitati, subinde

subinde magis ac magis augmentur. Quare si uere uolueris ab ira hostis tutus esse, ea inquirenda sunt, per quæ iram Dei effugere queas.

HVMILIATVSQVE EST ISRAEL.)

Vel tandem inueniunt Israelitæ eam speluncam et arcem per quam tuti fiunt & liberantur ab ira hostis. Clamauit (inquit) Israel ad **DOMINVM** postulantes auxilium contra Midianitas, Certissimum enim asylum effugiendæ calamitatis hostilis est clamare ad **DOMINVM** & inuocare auxilium **DOMINI**. **DOMINVS** enim est spelunca absconditissima, & arx munitissima, quam nullus impius aduersarius populi Dei, nec inuenire nec expugnare potest, & ex qua arce ea tormentorum genera in impios diriguntur, de quibus in Psalmo septimo scribitur: Nisi conuersi fueritis, gladium suum uibrabit, arcum suum tetendit & parauit illum. Et in eo parauit uasa mortis, sagittas suas ad comburendum effecit.

QVI MISIT AD EOS VIRVM PROPHETAM.)

Ecce post clamorem mox adest Dominus, populum suum liberaturus. Confirmemus igitur hoc exemplo fidem nostram in aduersis, ut excitemur ad orationem, certa persuasionem concepta, quæ Dominus orationem nostram ex fide profectam exauditurus sit. Sed quo initio inchoat Dominus liberationem? non mittit ab initio fortem exercitum in auxilium, non iubet parare arma, acuere gladios & sagittas, sed mittit uirum prophetam, qui grauissima concione Israelitas impietatis suæ arguit & increpauit. Quem locum per Synecdochen intelligo, quæ Deus liberaturus populum Israel, non unum tantum prophetam, sed multos prophetas & concionatores in Israel excitauerit, qui ex uerbo Domini reuelarunt & ostenderunt populo impietatem suam, propter quam tam horrendam iram Dei meruerint. Necessè autem est ut liberatio & salus ab increpatione & ostensione peccati inchoentur. Non enim liberat Dominus nec confert salutem nisi resipiscentibus. Nemo autem resipiscit, nisi prius agnoscat peccata sua. Peccata uero agnoscuntur prædicatione legis & increpatione uerbi Dei. Quare in adipiscenda liberatione & salute primum oim præcedere debet prædicatione legis seu ostentatio peccatorum. Argumentum autem concionum quas habuerunt prophete in Israel tpe belli Midianitici, hoc est quod hic scribitur: Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego uos eduxi de Aegypto, & eduxi uos de domo seruitutis &c. In hoc argumento uides populum argui impietatis suæ, quæ derelicto uero cultu ueri Dei, secuti sint sacra deorum Amorrhæorum. Et hæc impietas exaggeratur pro more prophetarum, posito ob oculos beneficio, quod præstitit Dominus Israeli liberatione ex Aegypto, uictorij super hostes et dono terre Ca

naan. Tunc enim magnitudo sceleris nostri illustratur, cum ex antithe-
 si opponitur ei magnitudo beneficiorum quæ a Deo accepimus. Cæ-
 terum ob hanc causam ostendunt Prophetæ Israelitis suam impietatem,
 ut doceant eos, unde tantam Midianitarum tyrannidem meriti sint.
 Agnoscentes autem impietatem, ab ea resipiscant, ut postquam resipue-
 rint, liberentur. Interim hoc obseruandum est, quod Prophetæ reijciant
 ac damnent in Israelitis ea sacra propter quæ illi sibi iusticiam & salu-
 tem pollicebantur. Dii enim Amorreorum sunt cultus diuini, & sacra
 quæ Israelitæ ab Amorritis mutuati sunt & fecerunt in honorẽ sum-
 mi Dei. Sicut Romani sub nomine Iouis deo optimo maximo sacrifi-
 carunt. Hæc autem sacra obseruabant Israelitæ, ut propter illa peccata
 sua expiarent, gratiam Dei mererentur & iustificarentur. Ostendunt
 igitur Prophetæ, Israelitas ipsi factis longe omnimodis impiissimos esse, prop-
 ter quæ putabant se piissimos. Vbi uero ipsa pietas, impietas est, quid
 illic scelerum non designetur? Quare cum prophetæ arguunt Israeli-
 tas impietatis in colendis alienis dijs, eo ipso etiã significat nullã fuisse
 se inter eos rationẽ honestatis uel in ciuilibus, uel in moralibus rebus.

VENIT AUTEM ANGELVS DOMINI ET
 SEDIT SVB QUERCIV.)

Dum Prophetæ Israelem impietatis arguunt, & prædicatione le-
 gis peccata, propter quæ Israelitæ affligebantur, ostendunt, mittitur
 angelus ad Gideonem filium Ioas, & uocat eum in liberatorem & sal-
 uatorem populi Israelitici. Est autem hæc de Gideone historia ualde
 obseruanda, ut ex ea discamus admirandam clementiam, qua Deus po-
 pulum suum seruat. Principio igitur, quod angelus appareat Gideoni tri-
 turanti, ut fugiat, & quouis momento incursionem hostium expectan-
 ti, significat, auxilium domini, tunc maxime presto adesse, cum res no-
 stræ uideantur maxime deploratæ. Deinde quod Gideon respondet an-
 gelo: Si Dominus nobiscum est, cur ergo apprehenderunt nos hæc
 omnia? uoce sua clarissime exprimit sententiam, quam humanum in-
 genium de Deo in afflictionibus habet. Existimat enim accessione af-
 flictionum, Deum recedere, & quo grauior fit afflictio, eo longius
 Deum abesse. Vnde ille uoces in Psal. Exurge, quare obdormis dñe,
 exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis, obliuisceris
 inopiæ nostræ & tribulationis nostræ? Et, Quare oblitus es mei,
 & quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus? Sed hæc opi-
 nio falsa est, & peccatum incredulitatis contra promissionẽ primi præ-
 cepti: Ego sum Dominus Deus tuus. Exemplum quoque huius histo-
 riæ docet eam opinionem falsam esse. Ecce enim quo magis Gideon
 conqueritur Dominum abesse, eo propius Dominus adstat. Ceterum
 quod addit, ubi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri &c.
 quanquam

quandē est expositulatio cum Deo, tamen apparet ex eo, Gideonem in his afflictionibus magna uehementia ad Deum clamasse, & fidem orationis suę memoria antiquorum miraculorum confirmasse. Prouerbiū est, ex abundantia cordis os loquitur. Cum igitur Gideon ad salutationem angeli statim inciderit in mentionem ueterum mirabiliū Dei, argumentum est, q̄ hæc iam antea semper in his angustijs, in animo suo uoluitauerit, & recordatiōe eorum seipsum ad orandum pro liberatione excitauerit: Psal. lxxxvij. ita exostulat cum Deo, ut tamē interim declarat fidei suę ardorem, dicens. Vbi sunt misericordiæ tuę antiquæ, Domine, sicut iurasti Dauid in ueritate tua.

RESPEXITQUE AD EVM DOMINVS, ET AIT, VADE.)

Hæc est uocatio qua Gideon eligitur & sanctificatur in liberatorē populi Israelitici de manu Midianitarum. Quæ autem est ista fortitudo, in qua iubet Dñs Gideonem liberare Israelitas, certe non est fortitudo corporalis sed spūalis, ea uidelicet, quam Gideon habebat e promissionibus diuinis in oratione sua. Cū em̄ secū uolueret diuinas promissiones, & miracula, quibus Dominus prius liberauerat Israelitas e maioribus afflictionibus, ingentem animi fiduciam concipiebat, Dominum etiam hoc tempore Israelitas liberaturum. In hac igitur magnanimitate & animi fiducia iubetur capeffere uocationem Dei, & Israelem liberare. Scito, inquit Dominus, quod ego miserim te, hoc est, uocatio illa, diuina uocatio est, Dei est non hominis uocatio. Quare quod ad te pertinet, magno animo hanc uocationem capeffas. Quod ad Deum pertinet, certissimam uictoriā tibi polliceor. LIBERABIS enim Israel de manu Midian. In hac promissione maiora promittuntur Gideoni, q̄ ut capere queat. Non quidem mirum uidetur, q̄ Dñs sit liberaturus Israel, hæctenus enim sepe liberauerat, sed hoc demū uidetur impossibile, q̄ p̄ ipsum, per ipsum inquā, nulla autoritate, aut potentia p̄ditum, sit liberaturus. Vnde r̄ndens ait: Obsecro, mi Dñe, in q̄ liberabo Israel? Ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei. Hęc non sunt uerba incredulitatis, sed hominis solliciti de mō rei fiendę. Sic & uirgo Maria, audiens se matrem fore Christi, ait ad angelum. Quo modo fiet istud qm̄ uirę non cognosco? Sed Dñs aperit Gideoni modum & rationem rei fiendę & dicit: Ego ero tecum, & percuties Midian quasi unum uirę, hoc est, reportabis hanc uictoriā a Midianitis, non humana, sed diuina potentia, nec uulgari modo, sed cœlesti & stupendo miraculo diuinitus edendo. Sic Mose, in uocatione sua audit, ego ero tecum. Sic Iosua audit, sicut fui cum Mose, ita ero tecū. Sic ad Ieremiā dicitur. Ego tecū sum ut eruam te. Sic apostoli audiunt, ego dabo uobis

os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri:
ET ILLE, SI INVENI (inquit) GRATIAM.)

Quid hoc rei est? non credit Gideon uerbo Dei, q̄ signum petat: profecto Gideon allegatur ab apostolo ad Hebręos in exemplum fidei. Itaq; sentiendum est, q̄ petat signum non ex incredulitate, sed ex fide. Si enim non credidisset uerbo Domini, aut non petisset signum sicut Ahab petere noluit, aut si petisset ad tentandum & calumniandum uerbum Dei, non ad confirmandam fidem suam petisset. Nunc aut petijt tm̄ signum, ut in fide uerbi Dei certificaretur & confirmaretur. Itaq; petijt signum ex fide. Da mihi, inquit, signum, q̄ tu sis, qui loqueris mecum, hoc est, credo quidem deum esse oīpotentem, & uerbum eius esse uerax, ut quod promittit, possit & uelit prestare, sed in hoc nondum certus sum, num uerbum tuū, sit uerbum Dei, obsecro itaq; te, ut conscientiam meam signo aliquo cōfirmes, quo firmiter credam, uerbum tuum, esse uerbum Dei. Petit aut Gideon, ut hic uir maneat, donec portet oblationem et ponat ante ipsum, nimirū sentiens, q̄ si hic uir sit nunciū Dei, & uerbum eius uerbum Dei, debeat efficere, ut carnes et panes oblationis miraculo quodam absq; igne humanis manibus supposito, incendantur, & absumentur, quemadmodum sacrificiū Abelis absumptū est, quo declarabatur, Dñm respicere Abelem. Ita Gideon q̄q; petijt hoc signo certificari, q̄ Deus respexerit Israelem, et uelit eos per manum suā liberare, hoc est, q̄ huius uiri uerbum, uere uerbum Dei sit. Hęc petitio, non est in Gidione impietas, sed pia prudentia, ad fidem oīno necessaria. Carissimi, inquit Ioanne cuius spiritui credatis, sed p̄bate spūs an ex Deo sint. Ergo (dices) licebit mihi signa & miracula petere, quoties audiero mihi predicari incredibilia? Absit. Aliud em̄ est nouas reuelationes habere, aliud ueterem doctrinam docere. Nouę enim reuelationes (qualis est ista Gideonis) egent etiam nouis miraculis, uetus autem doctrina, aut de lege, aut de Euangelio Iesu Christi, uidelicet, quod omnes hoīes sint natura peccatores, nec possint legi Dei satisfacere, sed consequantur remissionem peccatorum seu iustitiam gratis propter Iesum Christum per fidem, hęc, inquam, doctrina non eget nunc nouis miraculis. Est enim antea per signa & miracula ita confirmata, ut si angelus de coelo descenderet, & aliud doceret, quod huic esset contrarium, ac multis prodigijs confirmaret, non tamen ulla ei fides adhibenda esset. Ceterum petra ex qua ignis carnes absumens exilit, significat DOMINŪ nostrum Iesum Christum, ē quo & per quē emicat ignis, qui est spūs sanctus certificans & cōsolans corda credentiū. Nam qđ hic inter Gideonem, & angelum agitur, hoc semper agi solet inter conscientiam hoīs, & deum. Primū em̄ promittitur nobis per Euangelion, uictoria
 super

super Satanam, & mortem, præterea regnum cælorum & uita eterna. Quæ promissio amplior est, quam ut eam humana mente capere queamus. Proinde, quia uidemus nos minores & abiectiores esse, quam quibus tanta beneficia contingere debeant, existimamus ea ad sanctos tantum & ad principes ac monarchas in hoc mundo claros pertinere. Sed sicut angelus docet Gideonem, quod sit uictoriam a Midianitis, non humana sed diuina potentia reportaturus, ita docemur nos ex Euangelio, quod uictoria super Satanam & mortem, ac beneficium regni cælorum contingat nobis non nostris meritis, sed mera Dei clementia gratis propter Christum per fidem. His auditis, quanquam modus saluandi, qui est clementia Dei per Christum, nobis probe manifestetur, tamen conscientia non nihil adhuc hæsitat, num hic modus certo ad ipsam pertineat, Datur ergo ipsi signum ignis de petra, hoc est, donatur spiritu sancto, de quo Paulus scribit. Qui confirmat, inquit, nos in Christum, & qui unxit nos, Deus est, qui etiam ob signauit nos, deditque arram spiritus in cordibus nostris. Et iterum, Non accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritum adoptionis, per quem clamamus Abba pater. Idem spiritus testatur una cum spiritu nostro, quod simus filij Dei.

VIDENSQVE GIDEON, QVOD ESSET ANGELVS.)

Exclamat Gideon, quod uiderit angelum, & timet ne moriatur. Idem postea capite decimo tertio de Manoah patre Samsonis scriptum est. Morte, inquit Manoah, moriemur, quia uidimus DOMINUM. Quid ergo sibi uult timor iste ex uisione angelorum conceptus? Ut ad hoc respondeamus, obseruandum est, quod Dominus ipse deus apparere dicitur, quoties angeli eius apparent. Et Deus reuera in angelis suis apparet, propterea quod angeli a Deo mittuntur, & reuelant ac adnunciant uoluntatem Dei, adeoque angelorum uerba, sunt mens, uoluntas, & uerbum Dei. De uisione autem Dei dicitur ad Moysen, non poteris uidere faciem meam, non uidebit me homo & uiuet. Gideon igitur, intelligens se angelum Dei uidisse, tanta formidine ex eo corripitur, ut existimet se subitanea morte periturus. Quid ergo est illud, inquit, quod Iacob dicit: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Iacob exhilaratur e facie DOMINI ad salutem, Gideon autem terretur a facie Domini ad mortem, quomodo hæc conueniunt? Ad hoc simplicissime respondendum est: Facies Dei est uerbum Dei. Quia sicut homo in facie, ita Deus in uerbo suo cognoscitur: & sicut uoluntas hominis refulget in facie (iratus enim contrahit frontem, & toruum uidet, hilaris

IN CAPVT VI, IVDIC.

exporrigit frontem) ita uoluntas & animus Dei relucet in uerbo suo. Est autem duplex uerbum Dei, unde & duplex est facies eius. Alterum est uerbum legis, alterum uerbum Euangelij. Verbum legis est facies irata. Verbum Euangelij est facies propicia: Vbi ergo conscientia terretur maledictionibus legis, peccatis & morte, ibi dicitur Deus nos respicere facie irata. Quam faciem nemo suis uiribus ita ferre potest, ut non moriatur nec damnetur, nisi diuinitus seruetur. Et de hac facie ad Moſen dicitur: Non uidebit me homo & uiuet, hoc est, quemadmodum nullus hominum potest in hac uita meam essentiam & maiestatem perfecte uidere, ita nullus potest suis uiribus grauitatem irae meae uiuus sustinere. Hanc faciem uidit & Esaias dum exclamat: Heu mihi quia perij, quia uir pollutis labijs ego sum. De hac quoque facie intelligendum est quod Gideon dicit, Heu mihi Domine Deus, quia uidi angelum Domini facie ad faciem. Etenim, postquam Gideon certus factus est hanc uocationem esse uere diuinam uocationem, tentatur de peccatis, & de imbecillitate uirium suarum, quod propter peccata sua non sit dignus ut tantae uocationi seruiat, & quod propter suam uilitatem sit ineptus ad hoc munus administrandum. Cum igitur sentit se non posse hoc mandatum & hanc uocationem Dei exequi, sentit quoque quod necesse habeat mori & damnari. Neque enim existimandum est leuem pauorem fuisse in conscientia Gideonis, dum exclamat: Heu mihi Domine, sed omnino sentiendum est Gideonem e conspectu irae Dei, ita fuisse in animo suo turbatum, ut putauerit se perpetuae morti & damnationi obnoxium, ac prorsus sustinuerit flammam inferni ignis. Vbi autem conscientia recreatur Euangelio, ibi Deus respicit nos facie propicia, & animus gaudio & salute perfunditur. De hac facie dicit Iacob: Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea. Caeterum meminerimus, nos quoque subinde facies Dei contemplari, nunc per legem, nunc per Euangelion. Nam cum audimus, exempli gratia, Non esse furandum, & intelligimus in eo precepto multa mandari, quae nec obseruauimus, nec exacte, prout mandantur, obseruare possumus, ac legi additum esse, Maledictus qui non permanſerit in sermonibus legis huius, nec eos opere perficit. Haec inquam cum audimus, & in conscientia efficaciam legis sentimus, contemplamur faciem Dei iratam. Unde oritur timor mortis & damnationis, ut exclamemus cum Gidone, Heu mihi, damnatus sum, quia intelligo hoc uerbum esse uerbum Dei. Quae admodum enim Gideon primum quidem, tametsi uidebat angelum Domini, tamen quia non reputabat eum esse angelum Dei, non terretur. Postquam uero miraculo & subita euanescentia manifestum fit quod uere angelus Dei fuerit, ibi sum grauissimo horrore concutitur: ita cum nos aure audimus, & non dum

dum corde sentimus uerbum legis, non multum afficimur. Cum uero sentimus uerbum legis esse uere uerbum Dei, tum uero ingens terrorum tumultus in conscientia oritur. Deinde, si audimus Euāgelion quod Deus remittat peccata gratis propter Christū, & accipimus hoc Euāgelion per fidem, tunc uidemus faciem Dei propitiam, & oē gaudiū in conscientia oritur, ut & cum Iacob exclamemus: Vidi Dominum facie ad faciem & salua facta est anima mea. Atque hoc est uere faciem dei in hoc quidem seculo uidere ac cognoscere, non ligneam aut lapideam Dei imaginem oculis corporalibus aspicere, sed iram & misericordiam Dei in conscientia contemplari ac sentire:

DIXITQUE EI DOMINVS, PAX TECVM.)

Non sustinisset Gideon horrorem mortis & damnationis, nisi statim Euangelio recreatus esset. Ideo mox additur Euangelion, Pax tecum, ne timeas, non morieris. Hoc Euangelio per fidem accepto, reuocatur Gideon e morte ad uitam, ex inferno ad gaudia coelestis uitae. Vnde tantis beneficijs affectus, non potest se continere quin in gratiarum actionē erumpat. Quare ut ostenderet sese gratum Deo pro tantis beneficijs, aedificat altare, & uocauit illud, Dominus pacis. Instituit autem hoc altare non superstitione contra legem, ut ibi perpetua & publica esset sacrificiorum oblatio. Tale enim altare in solo tabernaculo Domini erat, sed instituit illud priuata spiritus reuelatiōe, ut ad tempus ibi sacrificaretur, & praedicaretur beneficium Dei, ac adnunciaretur clementia & misericordia Dei, qua ille deductos ad inferos reducit ad superos, qua morti obiectos reuocat ad uitam, qua consternatos in conscientia per legem, iterum recreat, & pacificat per Euāgelion, & apparitionem propiciae faciei suae. Vnde in huius rei monumentum hoc altare uocatur Dñs pacis, quo cognomine unusquisque admonetur, Dominum Deum nostrum tantae esse clementiae, ut respiciat super turbatum & contritum corde, ac pacificet illum perpetuo & coelesti gaudio. Hoc exemplo monemur etiam nos, ut post accepta beneficia reconciliationis cum Deo gratos nos exhibeamus. Volentes autem ingratitudinem nostram declarare, non instituamus cultus Dei factitios, quod hypocritae facere solent, sed instituamus eos cultus quos DOMINVS mandatis suis prescripsit. Primum autem omnium mandatorum est: Non habebis alienos Deos. Iuxta hoc igitur mandatum demus operam, ut pro gratiarum actione unum deum colamus, praedicemus, & celebremus. Deinde etiam operam aliorum praecceptorum capessamus, ut his non quidem satisfaciamus pro peccatis, & placatum Deum reddamus, antea enim nobis Deus per fidem propter Christum placatus est: sed ut his gratitudinem nostram erga Deum testemur.

ET NOCTE ILLA DIXIT DOMINVS.)

Confirmata uocatione iubet Dominus Gideonem opus ad quod uocatus est, hoc est, liberationem Israelitarum a Midianitis capeffere. Vide autem quo initio iubeatur Gideon liberationem inchoare, nimirum, ut destruat aram Baal patris sui, & succidat nemus, ac ædificet altare Domino. Porro quancūq; cultus Baal primam suam originem duxerit a statua Beli regis Assyriorum, idem enim uidentur Baal & Bel, quemadmodum in commentarijs Osee indicauimus, tamen quemadmodum summus & Opt. Max. Deus à Romanis uocatus est Iuppiter, quasi iuuans pater, & à Græcis Ζεύς, q̄ det omnibus ζωή, hoc est, uiuere, ita uerisimile est summum Deum a Gentibus Syriæ dictum esse באל Baal, qui significat nostra lingua magistrum aut dominum. In huius igitur honorem sacra instituta erant à Gentibus, ut propter eam iram Dei placarent, & beneficia Dei mererentur. Quæ cum fierent in honorem summi Dei, imitati sunt ea Israelitæ, & dereliquentes uerbum Domini, fecerunt sacra Baal, ut propter illa pro peccatis suis satisfacerent & gratiam Dei mererentur: Hæc autem sacra bis impia fuerunt. Primum, quia in lege Domini prohibitum erat ne quicquam adderetur Verbo Dei, nec dij Gentium colerentur. Deinde quia Israelitæ faciebant hæc sacra ad iustificationem & expiationem pro peccatis suis, cum tamen non contingat remissio peccatorum et iustificatio, nisi gratis propter semen Abrahæ Iesum Christum per fidem. Proinde ad liberandum Israelem è tyrannide Midianitarum iubet Dominus, primum omnium sacra Baal demoliri et legitima sacra restituere. Memorabile exemplum quo erudimur, ut cupientes liberari ab afflictionibus, primum omnium resipiscamus ab impietate, & abrogemus impia sacra propter quæ afflictiones meriti sumus. Abrogatio enim impiorum sacrorum, primus gradus est quo ad liberationem ascendimus. Ergo ne, inquires, demolienda sunt ad exemplum Gideonis, etiam apud nos altaria, in quibus impia sacrificia pro peccatis uiuorum & mortuorum celebrata sunt: Hic unusquisq; uideat quid sit suæ uocationis. Nam quod Gideon fecit, diuina uocatione fecit. In exemplo igitur Gideonis respiciendum est unicuiq; non ad externum factum Gideonis, sed ad rationem diuinæ cuiusq; uocationis. Ac primum quidem magistratus civilis abrogare debet impia sacra iuxta ordinariam rationem suæ potestatis. Ecclesiastes debet ea abrogare uerbo, non uiolentia. Priuatus debet ea abrogare fuga seu uitatione impietatis, adeoq; suam quisq; legitimam uocationem in abrogandis impietatibus sectetur, ne si quis in his rebus aliquid temere, & a sua ipsius uocatione alienum conetur, ueterem impietatem noua impietate abroget, atq; ita impietatem non abijciat, sed mutet.

TIMENS

TIMENS AVTEM DOMVM PATRIS SVL.)

Cultus Baal à maioribus traditus, & longa consuetudine in uulgo confirmatus erat. Itaq; timet Gideon, ne si interdium altare Baal destruat, à cognatis & ciuibus suis tanquam hereticus & blasphemus in Deum interficiatur. Vnde, quo uite sue consulat, noctu complet id quod ipsi à Deo mandatum erat. Hic autem timor non est timor impietatis seu incredulitatis, alioqui enim nec noctu obedisset Deo, sed est timor prudentiæ fidei. Tamen si enim habeas mandatum Dei et promissionem auxiliij diuini, prudentia tamen fidei requirit, ut nihil temere coneris, nec te citra necessitatem in præsentaneum periculum conijcias, sed sentias, necesse quidem esse, ut uocationem diuinam sequaris, & mandatum Dei compleas, attamen non necesse esse ut Deum tentes, sed potius ut ad uitanda pericula in sectanda uocatione Dei omnibus iustis, legitimis & ordinarijs rebus a Deo propositis utaris. Vnde prudenter agit Gideon, q̄ ad declinandum discrimen uitæ, noctu non interdium altare Baal diruat. Noctu autem altare diruere, non erat per se impium. Quod si uero non licet nisi impijs rebus periculum in sectanda uocatione Dei uitare, ibi tum necesse habemus nulla habitatione periculi, nos periculis exponere, & uocationem Dei sequi, certa fide concepta, q̄ qui nos uocauit ad pericula, idem etiam seruaturus nos sit in periculis, quæ in nomine eius aggredimur.

CVNQVE SVRREXISSENT VIRI OPPIDI.)

Seditio oritur, & postulatur Gideon ad supplicium. Ergo si ciues postulât Gideonem ad supplicium post destructum altare Baal, quid non crudelitatis in eum exercuissent, si deprehendissent ipsum interdium in ipso destructionis opere? Sed quid inquires? nonne consultius fuisset, si Gideon altare integrum reliquisset, quam quod destructione sua seditionem excitauerit? Quântum enim scelus est, publicam tranquillitatem & pacem turbare? Fateor, seditionem temere excitare, & publicam pacem suo uitio turbare ingens flagitium est. Sed maius flagitium est uocationi Dei non seruire, aut Deo non obedire. **DOMINVS** autem præceperat Gideoni ut altare Baal destrueret. Iam, ut pax huius sæculi constet, non est necesse: ut autem **DEO** obediat, id demum necesse est. Ut ciuitas tranquille uiuat, ad ueram salutem nihil pertinet. Ut autem uerus **DEI** cultus obseruetur, id ad ueram salutem maxime omnium pertinet. Proinde, quod seditio in ciuitate è destructione altaris Baal oriatur, non pio Gideoni, qui uocationem Dei secutus est, sed impijs ciuibus qui uerbum Dei abiecerant, imputandum est. Sic & his temporibus dum prædicatur Euan-gelion de Iesu Christo, & de iustificatione fidei, uaria scandala & alia mala oriuntur, quæ certe hominem qui paulo sanioris mentis est, plu

rimum percellunt. Sed quid facias? Euangelion de Iesu Christo, etiam si fractus illabatur orbis, omnino prædicari debet, & ut pia doctrina de iustificatione fidei in Ecclesia adnuncietur, necesse est. Quare siue seditiones siue offendicula oriantur, nihil ad piam Euangelij doctrinam, Sed omnis horum malorum culpa in impios redūdat, qui quod optimum est, sibi in pessimum exitium uertunt.

ET DIXERVNT AD IOAS PRODVC.)

Habes hic exemplum pertinatiæ uulgi, in retinenda religione iam inueterata. Et quanquā uulgo alioqui nihil inconstantius, in retinenda tamen impietate nihil eo est pertinatius. Sic in Hieremia dicunt: Sacrificabimus reginæ cœli, & libabimus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, reges nostri & principes nostri. Sic in Actis Apostolicis clamant, Magna Diana Ephesiorum. Sic Gotthis irrumptibus in Italiam, clamabant Pagani: Repetantur sacra magnorum Deorum &c.

QVIBVS ILLE RESPONDIT: NVNQVVD VLTORES.)

In Ioas patre Gideonis habes exemplum compescendæ seditionis ob impietatem excitatæ. Fuit enim is Ioas, primas & magistratus in urbe Aphra, id adeo hinc animaduertitur, quia supra dictus est pater familiæ Esri habitantis in Aphra. Ut igitur seditionem ciuium suorum in Aphra compescat, primum, grauissime increpat eos, dicens: Nunquid uos ultores estis Baal, ut pugnetis pro eo? hoc est, qua auctoritate audetis citra uocationem magistratus uestri, cultum Baaliticum uio lenter defendere? & quæ est hæc temeritas, ut audeatis ad defendendâ impietatem, magistratui uestro resistere, & filium eius ad supplicium postulare? Deinde addit increpationi seuerissimum edictum. Qui pro Baal pugnat, siue uindicat eum, moriatur, antequam lux crastina uenit, si Deus est, uindictet ipse sese, eo quod euerfa sit ara eius. Hac seueritate compescitur seditio, propter impietatem excitatâ, quæ certe seditio, per clementiam magis fuisset irritata quàm composita, Profuerit fortassis hoc exemplum obseruare in his motibus, quos uulgi excitat propter impias Missas papisticas a magistratu pie abrogatas. Quid enim publicæ ordinationes, aut abrogationes ad uulgi? Non est uulgo gladius commissus, ut aduersus leges in magistratum suum quantum uis iniustum animaduertat, quomodo ergo liceret ei in magistratum uocationi Dei seruientem animaduertere? Si missa papistica cultus Deo gratus est, animaduertat ipse Deus in magistratum, & puniat abrogatores. Vos autem quæ uestra sunt, agite, hoc est, recondite gladium in uaginam, & exercete in tranquillitate artificia uestra, ac date operam ut ueram pietatem cognoscatis. Sed quid est, quod Gideon cognomi-

gnominatur Ierub Baal. Scriptura addit causam. Eo quod dixisset Iosabab: Ulciscatur se ipse Baal, eo quod eversa sit ara eius. Nam apud Hebræos יָרֹבַח rob, unde Ierub descendit, significat contendere, controuersiam agere, aut ulcisci. Igitur Ierub Baal est quasi dicas, Baal ulciscatur. Apparet autem hoc cognomen Gideoni ex admiratione hominum datum esse. Existimo enim, quod sicut in Actis apostolorum de Paulo, quem uisera inuaserat, scriptum est, Melitenses iudicasse eum homicidam, cum uidebant bestiam de manu eius pendentem, & expectasse, ut incenderetur, aut concideret repente mortuus, postea autem, cum uidebant nihil mali ei accidere, mutata mente dixisse ipsum Deum esse, ita Gideoni in acquirendo suo cognomine contigit. Primum enim ciues eius, ad uocem Iosabab qua dixit, si Baal Deus est, ulciscatur se ipse, magna expectatione oculos suos in Gideonem intenderunt, & existimarunt, mox futurum, ut Baal demittat ignem de cælo, & Gideonem destructorem cultus sui absumat, aut ut terra dehiscat, & Gideonem deglutiat. Putabant enim Baal summum Deum, & hunc cultum ei gratissimum esse. Sed postquam uiderunt Gideonem non solum incolumem manere, sed etiam Midianitas hostes eorum mirabiliter superare, & Israelitas liberare, mutauerunt sententiam suam & uocarunt Gideonem, Ierub Baal, hoc cognomine significantes, quod DOMINVS Deus noster eum uirum potius honoret, quam puniat, qui abrogat impia sacra. Ac hoc cognomen Gideonis ualde memorabile esse debet, his, qui ex uocatione Dei impia sacra abrogant. Vulgus enim existimat, quod Deus hos tanquam longe omnium impiissimos auersetur, & extremis supplicijs eos affecturus sit. At bene se res habet, quod Gideon cognominatus sit Ierub Baal. Hoc enim cognomento significatur quod Deus in tantum non auersetur eos, qui e uocatione sua impia Missas, & alia impia sacra abolent, ut potius uelit eos maximis beneficijs afficere, quam ullum supplicium ipsis inferre.

QUI CLANGENS BVCCINA CONVOCAUIT.)

Abrogata impietate & restituto uero cultu Dei, Gideon colligit exercitum ad repugnandum hostibus. Tametsi enim Gideon diuino miraculo uocatus erat ad liberandum Israel, non tamen solus proficiscitur aduersus hostes, sed utitur organis ad uictoriam natura ordinatis, & conuocat exercitum, quantum potest. Exercitus enim militum, & arma bellica sunt ordinata organa ad reportandam uictoriam ex hostibus. Docemur autem hoc exemplo, quod in omni uocatione, primum omnium impietatem abijcere, & ueram fidem promissionibus diuinis adhibere, deinde uero legitima & ordinata organa ad uocati-

onem nostram pertinentia minime negligere, aut præfracte contempnere, sed ijs, quantum fieri potest, uti debeamus.

DIXITQUE GIDEON AD DOMINVM: SI SALVVM FACIS.)

Vide obsecro, humanæ naturæ, ut nihil durius dicam, imbecillitatem. Hic Gideon erat diuinitus uocatus, ut liberaret Israelitas a Midianitis, & habebat promissionem Dei, se uictoriam ex hostibus reportaturum, & hæc uocatio, miraculo quoque confirmata erat: habebat præterea exercitum secum triginta milium uirorum, nihilominus tamen, cum iam deberet hostes aggredi, & uideret maiorem exercitum hostium, quam suum, cunctatur, magna formidine corripitur, & mirum in modum trepidat. Hæc enim est natura humani ingenij, quod maiora pericula timeat sectando uocationem Dei, quam peccando aduersus Deum, cum tamen Deus recte factis honorem & auxilium promiserit, peccatis autem supplicium minatus sit. Sic scortator magis timet paupertatem & alia mala, si uocetur a Deo ad ducendam legitimam uxorem, quam si scortetur, & suam libidinem sectetur. Timet enim, ne si ducat uxorem, non possit eam, & liberos alere, & non timet egestatem in scortando. O præposterum timorem. Sic usurarius Sycophanta maiora sibi pericula somniat, si relinquat imposturas & scenora sua, quam si peccet aduersus legem Dei. Sic meticulosi Christiani maiora discrimina uitæ suæ sibi imminere putant, si constent in confessione Euangelij de Iesu Christo, quam si abnegent Euangelion. Sic & hoc loco Gideon, ponens sibi exercitum & fortitudinem hostium ob oculos suos, tanta fidei imbecillitate afficitur, ut existimet, quod se pene maioribus periculis exponat, si sequatur uocationem Dei, quam si eam derelinquat. Quid ergo Gideon in tanta fidei imbecillitate facit? non prorsus desperat, & tam animum, quam uocationem Dei abiicit? Nequaquam, hoc enim est linum fumigans extinguere, calamum quassatum confringere, & imbecillum, plane morti tradere, sed id agit quod in infirmitatibus fidei agendum est. Prostrernit se coram Deo, & petit supplex fortitudinem fidei, adeoque id operibus agit, quod ille in Euangelio uerbis dixit. Credo Domine, adiuua incredulitatem meam. Petit autem Gideon signum, ut primum quidem, solum uellus in area positum rore madefiat, reliqua autem terra circa uellus sicca maneat. Deinde autem ut siccitas sit in solo uellere, & ros in omni terra circa uellus. Ac DOMINVS huic petitioni Gideonis annuit. Quid ergo? num Gideon tentauit Deum, petendo signum? Deum tentant, qui non credunt. Gideon autem uerbo Domini, quanquam imbecilliter, credidit tamen. Non igitur tentauit Deum, sed quod fecit, ex fide fecit, uidelicet, ut hoc signo fidem suam firmaret, & constantem redderet.

redderet. Porro autem Gideonem non absq̄ spiritu sancto longius respiciente, uellus elegisse, testatur Psalmus septuagesimus primus. Cum enim spiritus illic aduentum & regnum DOMINI nostri Iesu Christi describeret, ait: Descendet sicut pluuia in uellus (uidelicet Gideonis) & sicut stillicidia stillantia super terram. De Christo enim prædicauerunt prophætæ, q̄d sit contriturus caput serpentis, & benedicturus omnes gentes, hoc est, quod sit uicturus peccatum, mortem, Satanam & infernum, ac omnes in ipsum credentes ab his hostibus, ad perpetuam salutem seruaturus. Sed quia uidemus maximam esse potentiam peccatorum nostrorum, & mortis, trepidamus, & difficulter credimus nos per Christum uictoriam ex his Midianitis reportaturos. Datur ergo nobis signum Gideonis, quo in conscientia nostra certificamur, Christum uere uicisse peccatum & mortem, ac nos per ipsum uere quoq̄ uicturos. Principio igitur uellus madefit, terra circumquaq̄ manente sicca. Postea, terra circumquaq̄ rore madefit uellere manente sicco. Vellus autem significat Iudæos, qui fuerunt oues pascuæ Dei. Ros significat prædicationem Euangelij. Terra circa uellus significat gentes. Cum igitur Christus aduenisset, ros prædicationis Euangelij, primum super Iudæos decidit. Solis enim Iudæis prædicatum est ab initio Euangelion, gentibus manentibus interim siccis, & rore Euangelij carentibus. Sic enim Christus ait: Non sum missus, nisi ad oues perditas domus Israelis. Et ad Apostolos inquit: In uias gentium ne abieritis. Postquam uero Iudæi Christum crucifixerunt, & rorem Euangelij ab Apostolis sparsum repulerunt, tunc madefacta est circumquaq̄ terra gentium, & prædicatum est Euangelion inter omnes gentes, exiccatis, immo excæcatis & abiectis Iudæis. Hoc igitur certissimum signum est q̄ Christus aduenit, & Midianitas, hoc est, peccatum, mortem & Satanam uicerit, ac nobis in ipsum credentibus uictoriam dederit. Vnde quoties tentamur in aduersis de fide in Christum, confirmemus conscientiam hoc signo, ut robur fidei concipientes, uictoriam e peccatis & morte reportemus. Hæc expositio de uellere Gideonis, in isto loco psalmi: Descendet sicut pluuia in uellus, non est iniucunda & habet etiam magnos & graues autores. Sed alij aliter legunt hunc uerliculum psalmi, iuxta hebræam ueritatem, uidelicet ad hunc modum. Descendet sicut pluuia in pratum resectum. Quam lectionem si sequaris, prior expositio, non erit quidem falsa, non est autem huic loco apta.

CAPVT VII.

IGITVR IERVB BAAL QVI ET GIDEON
DE NOCTE.)

Ducit Gideon secum aduersus Midianitas exercitum uirorum trīginta duorum milium, qui & si nullius pene æstimationis fuerit, si conferatur ad exercitum Midianitarum, qui constabat e centum trīginta quinq; milibus uirorum, ut postea sequitur, & iacebat in ualle sicut multitudo locustarum, cameli autem erant innumerabiles, sicut arena quæ iacet in littore maris, exercitus tamen Gideonis per se computatus, non contemnendi numeri est, nec mediocris potentiæ appareret. Proinde iubet Dominus multitudinem abijcere. Multus, inquit, est populus tecum, nec tradetur Midian in manus eius. Principio igitur obseruandum est, Gideonem prudenter egisse, q̄ conscripserit & eduxerit aduersus Midianitas exercitum q̄ copiosum potuit. Fidei enim est, ut magnanimiter uocationem Dei capessere, ita non temere legitimas rationes ac ordinaria & iusta media capessendi uocationem Dei negligere, aut præcipiti animi præsumptione contemnere. Prudentia igitur fidei est, q̄ Gideon, & si uocatus sit à Domino & signis certificatus, se reportaturum uictoriam ex Midianitis, nō tamen se solum temerario impetu prælio committat, sed exercitu haud mediocri sese muniat, non collocans fiduciam suam in exercitu, sed eo tantisper usus, dum per Dominum Deum suum licuerit. Hoc exemplo discamus prudentiam in rebus gerendis, q̄ etiamsi habeamus certas promissiones & uocationes Dei, nihil tamen temere conandum est, sed omnia legitima & iusta media tentanda ac usurpanda sunt, q̄ diu Dominus permiserit. Quod si uero nobis ea defuerint, tum uero nudum uerbum uocantis Dei sectandum, & de auxilio Dei nihil ubique dubitandum est. Sicut Mose ingressus est cum Israelitis in mare rubrum, nec pontem nec nauim habens &c. Deinde animaduertendū est, q̄ Dñs iubeat multitudinem abijcere, non quia multitudo militum non sit idoneum instrumentum ad reportandam uictoriam ex hostibus. Sed quia Deus uolebat manifestare uictoriam non esse humanarum uirium, sed solius ipsius opus. Quanq̄ enim uictoria & liberatio ab hostibus semper sit opus Dei, propter multitudinem tamen militum et auxiliorum humanorum, non apparet manifeste opus Dei esse. Iubet igitur multitudinem abijcere, ut non humane uires sed Deus ipse, uictoriæ author appareat. Ne gloriatur (inquit) Israel contra me, et dicat, meis uiribus liberatus sum. Sic Dominus Deus noster de Turca

Turca & omnibus aduersarijs populi Dei promisit, q̄ uelit eos mirabiliter delere supplicijs ē caelo immissis. Dicit enim in Ezechiele cap. xxxviiij. Iudicabo eum peste & sanguine & imbre uehementi & lapidibus immensis. Ignem & sulphur pluam super eum & super exercitū eius, & super populos multos qui sunt cū eo. Et magnificabor & sanctificabor, & notus ero in oculis multarum gentium, & scient quia ego Dñs. Quod aut̄ dñs promisit, haecenus nostris t̄pibus fidelissime prest̄itit. Turca em̄ in prima obsidione Viennę Aultrig, nullo p̄elio uictus turpissime aufugit. In secunda incursione in Austriam, quanq̄ potentissimus fuerit exercitus eius, tamen iterum nullo p̄elio uictus aufugit. Noluit enim Dominus ut multitudine eorum qui in nostro exercitu erant uinceretur Turca, ne uidelicet gloriaremur contra Deum, & diceremus, nostris uiribus liberati sumus. Hęc non dicuntur, quia non sit magnus exercitus aduersus Turcam educendus, duces enim bellorum omnino id agere debent, quod est ducum. Sed dicuntur, ut sciamus Turcam non uincendum humanis uiribus, quo magis operam demus, ut habeamus Deum propitium, qui solus admirabiliter Turcam oppressurus est. Ceterum Dominus iubet multitudinem amouere primum hoc edicto. Qui formidolosus est & timidus reuertatur. Hoc sumptum est ex Lege Deuterono. xx. ubi sic scribitur: Appropinquante iam p̄elio loquentur duces ad populum, Quis est homo formidolosus & corde pauido, uadat & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est. Hoc igitur edicto in exercitu Gideonis pronunciato, abeunt uiginti duo milia uirorum & remanent tantum decem milia. Porro quod formidolosi ab exercitibus reijciuntur, significat eos in Ecclesia istica militia perniciosos esse, & abiiciēdos, qui p̄æformidine non audent lesam Christum ingenue confiteri & p̄dicare, ac aduersarijs pietatis resistere. Requirit enim Paulus in Episcopo, ut sit tenax eius, qui secundum doctrinam est, fidelis sermonis et potens cōtradictentes conuincere. Et Christus: Nemo, inquit, qui admota manu aratro repperit retro aptus est regno Dei. Deinde iubet dominus etiā inter decem milia qui remanserunt, delectum habere. Adhuc, inquit, populus nimis multus est, duc eos ad aquas, & ibi probabo illos. Qui igitur curuatis genibus bibunt, reijciuntur. Qui autem manu ad os proiciente aquas lambunt eliguntur, & sunt t̄m̄ trecenti numero. Aquę significant, uel afflictiones, uel quod est his contrarium, uoluptates huius seculi. In allegorijs enim nihil retulerit, unam rem diuersa, iuxta diuersas rationes significare. Qui ergo in afflictionibus constant, hi ad sp̄ualem pugnam apti sunt. Qui aut in afflictionibus flectuntur & franguntur, hi ad sp̄itualem pugnam cum carne & sanguine ineunt



dam inutiles sunt. Aut qui uoluptatibus huius sæculi immerſi ſunt, ſicut illi aquam bibunt, qui poplite flexo bibunt, hi ſunt incommodi ad Eccleſiaſticum miniſterium. Qui autem ita utuntur mundo, quali non uterentur, quemadmodum bibunt qui ſtantes manu ad os proſciunt aquas, hi ad Eccleſiaſticam militiam electiſſimi ſunt. Cæterum quod Dominus auferat a Gideone maiorem partem exercitus ſui, & relinquat ei tantum ccc. per quos promittit ſe ipſi uictoriam daturum, præter ea quæ ſupra dicta ſunt, aliam quoque doctrinam continet. Multitudo enim populi, aptum & commodum organon eſt, quo uictoria ex hoſtibus reportatur. Dñs tamen aufert hoc organon a Gideone, & relinquit ei tantum trecentos uiros, nõ ut uictoriam ab ipſo auferat, ſed ut ei uictoriam mirabilius & maiori utriuſque gloria largiatur. Docemur igitur & monemur hoc exemplo, ut quoties deus aufert a nobis ea quæ nobis uidentur apta, commoda & iucunda organa foelicitatis huius sæculi, non indignemur, non conuiciemur, nec reſiſtamus ei, non enim aufert ea ut auferat foelicitatem, ſed ut mirabilius eam nobis concedat. Vnde & nomen eius ſanctum dicitur, quod longe alio modo operetur quàm prophanis homines. Hi enim conquirunt inſtrumenta operibus ſuis extrinſecus conuenientia. At deus operatur per inſtrumenta nulla ratione extrinſecus conuenientia. Exempli gratia, Diuitiæ, ſanitas corporis, bona fama, et alia id genus putantur eſſe organa foelicitatis & tranquillitatis in hoc sæculo. Et qui ſtudent tranquillitatem ſibi parare, hi arripiunt diuitias & ſanitatem, tanquàm organa ad tranquillitatem maxime omnium apta. Dominus autem Deus noſter tranquillitatem daturus, aufert diuitias et ſanitatem, non ut homines inſcelices reddat, ſed ut maiorem & ueriores foelicitatem conferat. Exemplum eſt cæcus a natiuitate Ioannis ix. Item Naheman Syrus leproſus. Item Lazarus mortuus. Denique omnes pii quotquot aduerſis afflictionibus in hoc sæculo oppreſſi fuerunt.

EADEM NOCTE DIXIT DOMINVS AD EVM: SVRGE.)

Ex hoc apparet Gideonem iterum maxime in fide promiſſionum Dei tentatum fuiſſe. Si enim antea ſaluti ſue timuit, cum habebat in exercitu ſuo triginta duo milia uirorum, quanto magis nunc timuit, ac propemodum desperauit, cum ei tantum trecenti relinquuntur. Quid cum trecentis faceret? quo ſe uerteret? Videamus igitur quomodo ſe gerat Dominus Deus noſter erga Gideonem, in hac fidei eius imbecillitate. Nunquid ergo reſicit Dominus Gideonem, quod tot promiſſionibus & ſignis proſiſtis, nondum tamen perfecte crediderit? potuiſſet quidem Deus optimo iure Gideonem tanquam hac uocatione indignum reſicere & alium aſſumere, ſed maluit miſericordiam

am

am & clementiam suam illustrem reddere, q̄ ius suum persequi. Non enim extinguit linum fumigans, nec conterit calamum quassatum, sed quod in nobis est exiguum & imbecille, hoc ipse clementer fouet ac corroborat. Vt igitur rursus confirmaret Gideoni fidem suam quam habebat admodum infirmam, et uix fumigantem, mittit eum clam & noctu ad uigilias & custodias castrorum Midianiticorum, ut qui non potuit satis confirmari uerbis & signis Dei, confirmetur in fide sua uerbis & signis hostium. Quid ergo facit Gideon? non detrectat obedientiam, sed uadit nesciens quid Dominus ipsi ostensurus sit. Et cum uenit ad uigilias, audit alterum uigilem narrantem somnium de pane subcinericio, alterum interpretantem somnium. Hoc somnio & interpretatione eius ita confirmatur & animatur Gideon, ut mox alacerrime ad castra sua redierit, & dixerit: Surgite, tradidit Dominus in manus nostras castra Midian. Primum ergo obserua, semper obsequendum esse Deo in uocatione sua, etiamsi nesciamus quo res sit eua-
sura. Non enim seducet nos Dominus, sed ostēdet nobis quod est optimum & utilissimum. Deinde, uide que res quantumuis aliog uana, non ingentem uirtutem adipiscatur, quam Dñs in manus suas pro organo operę suorę assumpserit. Quid enim uanius, quid nugatius somnium? Attamen Dñs recipiens somniū in manum suā pro instrumento, facit ut somniū non amplius sit uanitas, sed ueritatis confirmatio. An non dices hunc industrium esse fabrę lignariū, qui sciret laneo capitio ligna secare? non enim laneum capitium, sed securis idoneū instrumentum est ad secāda ligna. Ad confirmationē aut ueritatis multo minus competit somnium, q̄ ad secāda ligna capitium. Quid igitur magis industrium est Domino deo nostro, qui nouit ueritatē per somnia confirmare? Sic alias Christus aperuit oculos cęci luto, cum lutum potius excecet oculos q̄ illustret. Sic per sacramenta, baptismum & cęnam Dominicam, confirmat conscientiam nostram, quę tamen nihil minus uidentur, q̄ q̄ possint quicq̄ animo conferre. Valde autem prodest hanc diuinam industriam nosse, ut si idonea salutis nostrę organa, nobis ab oculis nostris auferantur, credamus Dominum nostrę salutis industrium esse, qui possit & uelit nos per organa minime oīa apta & idonea seruare. Postremo animaduerte hic, quam infeliciter cadant consilia impiorum, & quę impij putant sibi saluti esse, ea sunt ipsis magno exitio. Hi enim uigiles a quibus Gideon audit somnium et interpretationem eius, positi sunt a Midianitis ad custodiam exercitus. Sed ecce nescientes fiunt proditores exercitus sui. Quid ergo? cum tam infelix sit fortuna eorum qui impia conantur, danda est opera, ne quid contra Deum aut uerbum eius impie coneris. Si enim hoc feceris, certum est omnem sapientiam & potentiam tuam in-

diuersum casuram. Si quis autem dederit operam pietati, huic etiam stultitia in sapientiam uertetur.

DIVISITQUE TRECENTOS VIROS.

Remanserunt cum Gideone tantum trecenti uiri, & per hos promissit Deus se daturum uictoriam. Quid igitur? num Gideon ducit trecentos uiros aduersus exercitum hostium interdium? Nequaquam, temeritas enim fuisset, non obsequium fidei. Sed uritur omni militari industria ac mirabili prudentia. Armat trecentos suos uiros non lanceis, sed buccinis & lagenis habentibus in se lampades inclusas. Aggreditur hostes in media noctis hora, quod tempus mortales altissimo somno premit, Collocat suos per circuitum castrorum in tres partes, & iussit ipsos se imitari. Itaque clangente Gideone & complodente lagenam suam, coeperunt singuli clangere buccina & complodere lagenam suam, ac conclamare, Gladius Domini & Gideonis. Quid ergo fit? uide miraculum stupendum, Subitus clamor trecentorum uiro- rum, clangor buccinarum, & splendor lampadarum, tantum pauorem inijciunt hostibus, ut continuo ita trepident ac fugam quaerant, quasi tergo eorum immineret totus orbis, aut infinitae Satanarum myriades, & quod magis admirandum est, tanto furore corripuntur, ut unusquisque uertat gladium in proximum suum, quasi in hostem. Haec est admirabilis illa uictoria quam Deus promissit se Gideoni per trecentos uiros daturum. Primum igitur hac uictoria comprobatur, quod uictoria non sit opus humanarum uirium, sed Dei. Quanquam enim saepe numero fortis uincit hostem imbecillio- rem, tamen hac Gideonis uictoria reuelat Dominus, quod uictoria contingat forti non propter fortitudinem suam, sed propter clementiam Dei. Deinde significatur, quod industria militaris tunc sit foelix, cum benedicatur diuinitus. Nisi enim Dominus benedixisset huic Gideonis industrie, nunquam successisset, sed potius impedisset uictoriam. Quem enim fortem uirum exterret tuba? quin potius ad prelium excitat. Iuxta illud poetae, *Aere ciere uiros, martemque accendere cantu.* Et quem obstupesceret lumen? quin potius comodum est ad discernendos hostes ab amicis. Haec tamen, benedictione Domini, ita perterrefaciunt nunc exercitum hostium, ut illi mutua cede sese interficiant. Proinde etiamsi quid astutissime & sapientissime excogitaueris, orandum tamen est pro benedictione Domini. Nisi enim Dominus benedixerit, prudentissima etiam consilia fallunt. Adhuc uictoria ista, argumentum, & certissimum testimonium ac signaculum est, quod Deus uelit populum suum, e manibus aduersariorum mirabiliter liberare, & aduersarios turpissime pudescere, etiamsi nulli idonei seruatores populi dei uideant. Vnde psal. octuagesimus secundus: sic orat contra hostes Israelis: *Fac illis sicut Midian & Sissara.* Et mox: *Pone principes eorum*

eorum sicut Oreb & Zeb, Zebath & Zalmuna. Et *saī. x.* de Sanneharib dicitur: Suscitabit super eum Dominus Zebaothfi agellum iuxta plagam Midian in petra Oreb. Vides spiritum sanctum in scriptura ostendere exemplo huius uictorie à Midianitis reportate, q̄ sicut dominus mirabiliter adiuuit Israelitas, & oppressit Midianitas, ita semper uelit eos, qui in ipsum credunt, (hi enim uere sunt populus Dei) mirabiliter seruare, & hostes eorum perdere. Præterea significatur etiam hac uictoria, aduersarios populi Dei, suis ipsorum gladijs perituros, & quibus rebus minantur internitionem p̄is ipsos interituros. Sic Philistini, quos exterruit Ionathas, uerterunt in se mutuo gladios quos in perditionem Israelis exacerant, quemadmodum scriptum est in priori libro Samuelis *cap. xiiij.* Sic Goliath suo ipsius gladio perijt. Sic Moabitæ aduersus Israelitas pugnaturi, mutua se cæde interficiebant, sicut in *ij. lib. Chron. cap. xx.* legitur. Postremo hac pugna adumbratur pugna Christi, & per Christum, omnium Christianorū aduersus sp̄uales astutias in cœlestibus, aduersus p̄ctū mortem & infernum. In *Esa. em̄ cap. ix.* de prælio & uictoria Christi ita scribitur. Iugum oneris eius & uirgā humeri eius, & sceptræ exactoris eius superasti sicut in die Midian. Nam buccinæ adumbrant prædicationē Euangelij. Laginæ contractæ significant passionē Christi, qui cōtinet intra se lumen æternum, quod post passionem eius in resurrectione & missione sp̄s sancti eluxit. Prædicatione igitur Euangelij, et passiōe, Christus aduersarios nostros, Satanā, mortē, & infernū, ita exterruit, ut suis ipsorū armis perierint. Quia em̄ Christus suscepit in se p̄ctū, hoc est, afflictiones & pœnas peccati, ideo peccatū expiauit. Quia suscepit in se mortem & dolores inferni, ideo morte sua uicit mortem, & ignibus inferni extinxit ignes inferni. Sic et omnes, qui in Christo sunt, uincunt omnia aduersa, per uerbum Euangelij, & fidem in passionem Christi, adeoq̄ superant afflictionibus, afflictiones, doloribus dolores, morte mortem, idēq̄ in Christo Iesu Domino nostro.

MISITQVE GIDEON INUNCIOS IN OMNEM MONTEM EPHRAIM.)

Victoriam, quam Dominus mirabiliter per Gideonem & trecentos uiros inchoauit, cōsumant Ephraimitæ, et apprehendunt duos principes Midianitarum, nomine Zeb & Oreb, quos & interficiunt, & portant capita eorum ad Gideonem. Ex hoc, primum admonemur, q̄ turpiter, q̄ fœde impij persecutores populi Dei pudefiāt. Capita em̄ principum Midianitarū ad uictorem Gideonē deferuntur, qua ignoia non potuisset impijs principibus quicq̄ fœdius & abominabilius contingere, Sed hoc exēplo declarauit deus q̄ sit finis crudelitatis, quam exercent impij erga pios, quemadmodū etiā paulo ante indicauimus,

Quod autem de principibus populi impij, & de tota impiorum caterua scribitur, hoc multo magis de priuatis impijs intelligendum est. Si enim Dominus non parcat principibus, & toti genti persequenti populum Dei, multo minus parcat priuatis iniuriam alicui ex populo Dei inferentibus. Deinde monet nos hoc exemplum, ut in operibus a Deo per nos inchoatis, non ociemur, nec ignauie nos tradamus, sed exhibeamus nos instrumenta operationis diuinæ. Quamquam enim hæc uictoria mirabiliter erat inchoata, tamen Gideon non ociatur, non abscondit manus suas in sinum suum, sed mittit euestigio nuncios in montana Ephraim, & hortatur eos, ut occupent uada Iordanis, & obuios quosque Midianitas trucident. Sic & Dominus subinde incipit in nobis per fidem Euangelij, uictoriam super nostros Midianitas, peccatum, Satanam, & mortem. Quid ergo? num ociandum est? nequaquam, sed unusquisque debet sese præbere instrumentum uictoriæ Dei, ut sicut antea obediuimus peccato, ita nunc obediamus iusticiæ.

CAPVT VII.

DIXERVNTQUE AD EVM VIRI EPHRAIM.)
Ephraimitæ acriter inuehuntur uictoria sceleriter parta, in Gideonem, quod non uocauerit eos ad bellum. In his igitur Ephraimitis luculenter describitur ingenium hominum huius sæculi. Nam si quid sceleriter cadit, nemo non uult uideri amicus, & pessime quæque habet, quod ad consilium rei sceleriter peractæ non sit uocatus. Si quid autem infeliciter cadit, nemo uult uideri consuluisse, & amici tunc bene numerabiles sunt. Hæc autem non ideo nobis proponuntur ut sciamus tantum. Scimus enim hæc experientia subinde docente citra scripturam. Sed ut his hominum moribus admoneamur in omnibus negotijs tantum in uocationem dei respicere & in solum Deum confidere, nunquam autem fiducia humane amicitie quicquam sceleris aduersus Deum conari, quippe quod humanum auxilium pudefaciat eum qui illo confidit.

QVIBVS ILLE RESPONDIT QUID ENIM.)

Gideon humanissime respondit importunitati Ephraimitarum, et furorem eorum comitate sua modestissima frangit. Habes hic exemplum eius sententiæ quæ scribitur Prouerb. xv. responsio mollis frangit iram. Et iterum capite xxv. Lingua mollis confringit duriciam. Et capite x. Charitas operit multitudinem peccatorum. Vide enim quantum aceruum peccatorum precauerit Gideon, hac importunitatis Ephraimitarum tolerantia. Primum cōpescuit seditionem. Deinde se
& trecent

& trecentos suos à cædibus redemit. Et multa alia mala præuenit, quæ exorta fuissent, si importunitati, importunitate, & arrogantia, arrogantia obuiaffet. Malum enim non uincitur malo, sed augetur potius & multiplicatur malo, quemadmodum nec nigrum, nigro, nec album albo deletur. Vincitur autem malum bono, sicut nigrum albo, & album nigro deletur.

CVMQVE VENISSET GIDEON AD IORDANEM.)

Petit Gideon comæatum a ciuibus Sucoth (quæ est urbs in tribu Gad) Sed illi non solum comæatum lassis & defatigatis negant, sed etiam derident eos. Idem fecerunt ciues Pnuel. Memorabile exemplū quo significatur, quid his qui infirma specie in officio & uocatione Domini ambulant, ab impijs hominibus huius sæculi contingere soleat. Quo enim hi, qui uocationem Dei sectantur, infirmiores apparent, & quo magis auxilio indigere uidentur, eo plus ab impijs ridentur, & auxilio eorum destituuntur. Sic Moabite et Ammonite negant Israelitis in deserto panes & aquam. Sic Dauidem ex aula eiectum, produnt Ziphei. Sic Christum in Cruce pendentem rident pontifices, & porant eum aceto, addentes ei dolorem super dolorem. Hæc ponuntur nobis ob oculos, primum ut discamus non confidere in humana auxilia. Deinde, ut non offendamur aduersis, & impiorum irrisionibus, nec propter eas uocationem Dei derelinquamus.

QVIBVS ILLE AIT CVM ERGO DOMINVS TRADIDERIT.)

Minatur Gideon ciuib. Sucoth & Pnuel atrociam et immania supplicia, quæ & postea eis infert. Quid ergo? an non hoc est seipsum ulciscitur? Nequaquæ est humana sed diuina ultio. Maxima enim est impietas & atrox facinus ambulanti in opere Dei non solum non adiuuare, sed etiam contemnere & deridere. Quantum enim ad derisorem attinet, quid suo risu & auxiliij sui destitutione aliud agit, quam quod opus Dei impedit, & ambulanti in opere Dei opprimit: id quod superat etiam homicidium ac latrocinium. Iam Gideon erat magistratus a deo in hoc uocatus ut esset ultor ad iram ei, qui quod malum est fecerit: Proinde, ut iuxta uocationem suam interficit Midianitas legitime, ita iusto quoque supplicio afficit ciues Sucoth & Pnuel propter impietates & crudelitates eorum. Et hac tam immani pœna, publice declaratur, quæ impie peccent, & quantum supplicium mereantur hi, qui ambulantes in uocatione Dei deserunt, & derident.

DIXITQVE IETHAR PRIMOGENITO SVO.)

Quid commendat ne Gideon filio suo officium carnificis? Antiquitus officium carnificis, non erat tam inhonestum quæ apud nos re-

F.

putatur. Qui enim hoc officio fungebantur erant primarij apud reges, ut uides in lib. Reg. Et in lege dicitur de lapidantibus sceleratos: Manus testium prima sit. Non autem admittebantur ad testimonia nisi honesti. Preterea, lex est: Non occidas. Iam ut honestum locum inter ciuites obtinet quod prerogatiua quadam a uulgaribus Reip. legibus liber est, ita is non parum honestus censendus est, qui est liber ab hac diuina lege: Non occidas, ita ut liceat ei impune occidere, quod lex diuina alijs prohibet. In bello quoque iudicatur honestissimus & fortissimus, qui magna fortitudine aduersus hostes pugnat, & plures interficit. Nihil autem distat quantum ad occisionem attinet, impium hostem in acie, aut sceleratum hominem in foro, seu loco caluarie, ex uocatione diuina interficere, nisi quod alter fit cum periculo, alter sine periculo occidentis. Proinde officium carnificis per se est officium honestum. Quod autem hisce temporibus in honestum existimat, partim uenit ex superstitione papistica, que sentit magistratum ciuilem, rem pphanam & expiatione dignam agere, cum condemnat sceleratos ad supplicium mortis, partim uenit ex inhonestate carnificum, qui ducunt uitam impurissimam & inhonestissimam, atque ita fit, ut propter uilitatem personarum uilescat quoque officium.

DIXERVNTQUE OMNES VIRI ISRAEL AD GIDEONEM DOMINARE NOSTRI TV.)

Absoluta prorsus uictoria offerunt Israelite Gideoni & posteris eius regnum in Israel, propterea quod liberauerat ipsos a Midianitis. Simile habes in Euangelio Ioann. cap. vi. ubi scribitur Iudaeos uoluisse rapere Christum, & creare ipsum regem, quod pauerat ipsos in deserto. Sed sicut Iudaei Christum, quem ante uolebant regem creare, paulo post in crucem adigunt, ita et Israelitae Gideonem & filios eius quos nunc in regem optant, mox ita fastidiunt, ut septuaginta filios Gideonis turpissime & crudelissime trucidant. Hic uides ingenium uulgi, primum, quod nullam possit mediocritatem seruare. Aut summe extollit, aut extreme odit. Deinde quod nihil eo sit mutabilius & inconstantius. Quem modo in coelum posuisse cupiunt, ei paulo post omnem humanam opem interdicit. Et quem nunc ad astra ferunt, eum postea omnibus diris execrationibus deuouent: Habes huius inconstantie multa exempla in sacra scriptura, plura apud Ethnicos scriptores.

QVIBVS ILLE AIT: NON DOMINABOR.)

Vt in uulgo Israelis proponitur nobis exemplum subitae & repentinae ac propter hoc mutabilis beneuolentiae, ita in Gideone proponitur exemplum modestiae. Recusat enim regnum. Quam ob causam? quid regno acceptius, quid iucundius? cur igitur Gideon oblatum regnum non accipit? Non respicit Gideon quod iucundum, quod honestum appareat regnum in oculis mundi, sed hoc considerat, num regnum

Israe

Israelis deferat ipsi legitime, & ex uoluntate ac uocatione Dei. Quod cum secum reputaret, facile perspexit, regnum nec legitime, nec ex uoluntate Dei, sed tantum e subito & repentino fauore populi ipsi offerri. In lege enim dicitur: Cum ingressus fueris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi & possederis eam, habitauerisque in illa & dixeris, constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes, eum constitues, quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Eum, inquit Lex, constitues, quem non tu tuo arbitrio & beneplacito, sed quem Dominus Deus tuus uerbo suo declarat eligendum in regem. Nondum autem declarauerat Dominus uerbo suo, quod Gideon deberet mutare pristinum statum iudicarium in monarchiam aut regnum. Igitur Gideon, agnoscens regna contra uoluntatem Dei occupata, non constare, & precipitem populi fauorem facili momento mutari, prudenter simul ac pie regnum recusat, nimirum consultius esse existimans delatam regni maiestatem honeste recusare quam acceptam paulo post turpiter relinquere. Sed quid illud est quod ait: Non dominabor uestri, nec dominabitur in uos filius meus, sed dominabitur uobis Dominus. An non dominatur Dominus cum dominatur rex? scilicet, non dominabatur Dominus in Israel, quando dominabatur Dauid aut Salomon, aut Hiskia? aut fortassis sentiendum est, quod Israelitae hisce temporibus quo uixit Gideon, nullum habuerint magistratum? Nequaquam, habuerunt enim semper suos iudices & seniores in singulis urbibus, qui magistratu fungebantur. Adhuc semper dominatur Deus, etiamsi rex dominetur. Itaque cum Gideon dicit: Dominetur uobis Dominus, non sentit Israelitas nullum magistratum habuisse, aut Deum non dominari, rege Reipublicae administrante. Sed respicit in praesentem ordinationem Dei, & statum iudicarium nondum diuinitus mutatum. Hic enim status duabus potissimum de causis dicebatur proprie regnum Dei in Israel, priori, quia sic ordinatus erat a Domino, necdum mutatus erat. Et hac ratione omnia quoque regna ordinarie constituta, dicuntur regna Dei. Et Paulus ad Romanos, magistratum uocat ordinationem Dei. Posteriori, quod in statu iudicario nullus erat monarcha in Israel, qui pro sua libidine & potentia populo dominabatur, sed eligebantur in singulis urbibus iudices & seniores, qui necesse habebant Reipublicam administrare, non iuxta suum arbitrium, sed iuxta legem Dei & praescriptum DOMINI. Quod si id non fiebat, licebat eos ab officio deponere. Interim si opprimebantur Israelitae ab hostibus, eligebatur inter eos dux aut imperator exercitus, quem ipsi iudicem uocabant alij Heroem, & eligebatur non humanis suffragiis, sed diuinis miraculis. Quare hic status & haec forma politicae, quae, ut opinor, prope-

modum media erat inter Aristocratian & Democratian, proprie dicebatur regnum Dei. Vnde cum Israelitæ in Samuele hanc formam politiæ reijcerent, & peterent regnum, dixit Deus ad Samuelem: Nō te, sed me reiecerunt, ne regnem super eos. Cum igitur Israelitæ offerrent Gideoni regnum Israeliticum, certe idem fecerunt, quod Satan Christo. Is enim duxit Christum in excellum montem, & monstrauit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dixit illi: Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me. Sic & Israelitæ offerunt Gideoni regnum, si Satanam adorare uelit, hoc est, si uelit aduersus ordinationem Dei, præsentem politiæ statum in Israel mutare. Sed ut Christus Satanæ respondet: Abi Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuū adorabis, & illum solum coles, ita & Gideon magna fidei uirtute Satanicum propositum Israelitarum reijcit, & palam fateatur, se Deum adoraturum, & ex obsequio Dei præsentem politiæ statum non mutaturum. Memorabile exemplum, quo omnes monemur, ut quæ nobis repētino & seditioso populi fauore, siue regna siue principatus, siue ducatus, siue honores, siue dignitates, siue opes, aduersus ordinationem & mandata Dei offeruntur, & bona conscientia coram DEO possideri non possunt, ea excusso animo & constanti fide repudiemus. Preclare Augustus, Straboni peruiaciam Catonis accusanti, quod sibi manus afferre, quæ Iulium uictorem agnoscere maluisset, respondisse fertur ac dixisse: Quisquis præsentem Reipub. statum mutari non uult, is & ciuis & uir bonus est. Non commendanda quidem est crudelitas eius, qui sibi ipsi uim intulit, sed probanda est sententia animi eius, quæ noluerit nouo genere imperij, ueterem Reipub. statum mutari. Hoc enim si temere & absque mandato Dei fit, est ordinationi Dei resistere, & sibi ipsi iudicium recipere.

DATE MIHI INAVRES EX PRÆDA.)

Pro regno petit Gideon inaures aureas, bullas, catenas, uestes purpureas regū Midianitarū, & torques aureas camelorū. Quas cum Israelitæ magna animi libentia & alacritate obtulissent, accepit eas Gideon, & fecit ex ipsis Ephod, & posuit illud in ciuitate sua Aphra. Ephod autem significat super humerale seu cinctorium. Et est genus uestimenti, cuius usus erat in sacris faciendis. Cæterum, duo fuisse genera Ephod scriptura passim testatur. Alterum simplex & lineum, quo & Leuitæ & aliæ tribus in sacris utebantur. Vnde & Samuel legitur Ephod habuisse, qui tamen non erat sacerdos, sed leuita, & Dauid, qui non erat de tribu Leui, sed Iuda. Alterum contextum erat ex hiacyntho, bysso, cocco, purpura & auro. Et hoc uestimentum solis sacerdotibus gestare licebat, quemadmodum scribitur Exod. cap. xxxviij. Cum igitur

igitur Israelitæ dono dederint Gideoni uestes purpureas & alias aureas ac preciosas prædas, & scriptura dicit eum fecisse ex ipsis Ephod, manifeste apparet Gideonem fecisse tale Ephod, quali summo tantum sacerdoti in faciendis sacris uti licebat. Ac fecit illud, non ut pontifex eo uteretur, quando ingrederetur in tabernaculum testimonij, & appropinquaret ad altare ad ministrandum Dño, sed fecit ac statuit illud in sua ciuitate Aphra in honorem & gloriam Dei, ut esset monumentum uictoriæ a Midianitis reportatæ, & manifestum signum prædæ a Midianitis ablatae. Hæc certe opinio, & ut uocant, intentio, optima ac diuinissima uidetur. Sed audi quid sequatur: Fornicatus est omnis Israel in eo, & factum est Gideoni & omni domui eius in scandalum. Cum enim Gideon uir tam sanctus & diuinis miraculis commendatus, instituisset illud Ephod, Israelitæ undiq; ad hoc uidendum & uenerandum conueniebant, & ibi tanq; in loco alijs sacratori sacrificabant, eoq; tandem uentum est, ut uotis obligarent se ad hoc Ephod peregrinatos, & ibidem sacra facturos, quibus opibus sperabant se Deum placare, & pro peccatis suis satisfacere. Hic autem non tm̄ abusus est uestimenti sacerdotalis, sed mera etiam impietas est, Ephod enim pertinet tantum ad usum pontificum in ministerio. Quare, qui usurpant illud, ut colant, & apud ipsum sacrificent, ad expianda hoc opere pct̄a sua, hi non solum abutuntur eo, sed etiam designant fornicationem spiritualem, quæ est idololatria. Quid ergo ad hanc impietatem Gideon? Hic mihi uide, quid sit homo uerbū Dei derelinquens, & sapientiam carnis suæ sectans. Iste enim Gideon, qui antea uerbo Dei ob oculos posito, aram Baal magna fide destruxit, & solus cū trecentis, Midianitas ingenti fidei fortitudine inuasit ac prostrauit, nunc uerbo Dei neglecto, pretextu nominis gloriæ Dei in tantum decipitur, ut manifestam impietatem conuientia sua probet. Tamen enim non instituerat illud Ephod ab initio, ut Israelitæ ipsum colerent, ac ibi sacrificia offerrent, tm̄ cum uidebat illud fieri, non prohibebat, sed conuiebat, non abominabatur, sed approbabat, ac nescio quid felicitatis sibi coram Deo ob tam diuini cultus institutionem pollicebatur. Quæ impietas, noīe quidem differebat ab idololatria Baal, re aut ipsa prorsus eadem erat idololatria. Tanta cecitate & impietate obruitur homo, non uerbum Dei, sed sapientiam carnis suæ sectans. Quid igitur fuisset Gideoni faciendum? Primum non debuisset instituere in monumentum uictoriæ Ephod, quod tantum ad usum sacerdotalem cōsecratum esse debet, sed debuisset carmine quodam ac Psalmo, memoriæ tantæ uictoriæ consuluisse, aut potuisset aliud quiddam cōsilio Prophetarum instituisse, quod non tam facile occasionem ad idololatriam dedisset. Deinde, quia omnino Ephod institutum erat,

& uidebat Gideon omnem Israel in eo fornicari, debuisset illud abrogare ac prorsus conculcare, sicut antea aram Baal destruxerat. Talem pietatem uides in Hiskia, cum enim huius temporibus Israelitæ colerent æneum illum serpentem, quem Mose diuino mandato ad sanandos faucios a serpentibus in deserto erexerat, et a quo multi quoque sanati fuerant, non passus est Hiskia tantam impietatem, sed serpentem confregit, & uocauit eum contemptus gratia Nehusthan, hoc est, æreum, & nihil præter es habentem, quemadmodum scriptum est in iiii. lib. Reg. cap. xvij. Huc nunc confer institutionem ordinum monasticorum & missarum, ac plane uidebis, quid aut instauratores, aut defensores eorum coram Deo mereantur. Sit sane, quod ordines Monastici ab initio instituti sint ad disciplinam & eruditionem iuuentutis, & quod Missa tot additis ceremoniis, cantibus, & orationibus ordinata sit propter *συντάξιν*, ut Sacramentum cœnæ Dominicæ honesto ac decoro ordine consecretur ac ministretur: Videmus autem nunc in quantam impietatem hæc institutiones abierint. Ordines enim Monastici obseruantur, ueluti nouus baptismus, quo omnia peccata expiantur, & perpetua felicitas merito quodam acquiratur. Missæ quoque ab hypocritis celebrantur, ut sint ex opere operato satisfactio pro peccatis uiuorum & mortuorum. Quibus opinionibus nihil potest dici magis impium. Solus enim Christus est satisfactio pro peccatis nostris & meritum uitæ æternæ. Et Christus per solam fidem nobis applicatur ac donatur. Quare qui adhuc impietatem ordinum Monasticorum & Missarum prætextu diuini honoris defendunt, hos certe atrocissima supplicia manent. Non res est ridicula aut puerilis, talem cultum Dei aut instituere, aut institutum defendere, qui debeat esse meritum, quo placatur Deus & satisfit pro peccatis. Aheron instituerat uitulum aureum, & Israelitæ hunc cultum amplectebantur. Sed audi quid dicat Dominus ad Mosen: Dimitte me ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Gideon, de quo nobis nunc sermo fuit, instituit Ephod, & cum fornicarentur in eo Israelitæ, factum est ipsi & omni domui eius in ruinam. Saul rex Israelis sacrificauit in Gilgala ante aduentum Samuelis, ut hoc opere Deum sibi placaret et gratiam Dei mereretur. Sed audit: Nequaquam regnum tuum consurget. Et postea, pro eo quod abiecisti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. Ierobeam instituit duos uitulos aureos bona opinione in honorem & cultum Dei, sed audit: Quia fecisti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post tergum tuum, idcirco ecce ego inducam malum super domum Ierobeam &c. Dies me deficeret, si uellem omnia suppliciorum genera commemorare, quibus illi affecti sunt, qui novos Dei cultus ad expianda peccata, contra fidem institue-

instituerunt, aut institutos defenderunt. Proinde, qui suū ipsius exitum cauere uelit, uerbum Dñi sequat̄, & eos cultus diuinos obseruet, quos uerbū Dei mandat, nec sufficit, ut externo opere eos obserues, interim aut̄ impiam opinionem in obseruando habeas, sed necesse est ut ipsos ea fide obserues, quam Euangelion requirit, uidelicet, ut credas tibi pctā remitti non propter ulla opa tua, sed propter Christū per fidem: deinde aut̄ bona opera uerbo Dñi mandata facias tanq̄ testimonia fidei, & gratiarū actiones pro acceptis a deo p̄ Christū beneficijs, non tanq̄ opera satisfaciētia pro pctis, & meritoria uite aeternae.

HVMILIATVS EST AVTEM MIDIAN.)

Scriptura colligit in breuem epilogum beneficia, quae Deus Israelitis per Gideonem contulit, ut ex antithesi ostendat ingritudinem Israelitarum erga Deum & Gideonem, quae eo turpior est, quo maiora sunt collata beneficia. Etenim Gideon beneficio Domini Dei sui, primum liberauit Israelitas a tyrannide Midianitarum, quod beneficium eo maius est, quo tyrānis Midianitarum intolerabilior erat. Deinde, administrauit Remp. Israeliticam quadraginta annis in summa pace & tranquillitate, postremo conseruauit legitimum cultum Dei, (excepto Ephod) in Israel, & effecit, ne suis temporibus Baalitica impietas restitueretur. Hostes autem uincere, ciues in pace & tranquillitate conseruare, & ueram religionem tueri, uera sunt magistratus officia, & summa beneficia, quae Deus per magistratum populo suo confert. Habes igitur beneficia, quae Deus Israelitis per Gideonem praestitit. Nunc autem uide, quas gratias Israelitae, & Domino Deo suo, & Gideoni duci suo referunt. Primum, postquam mortuus esset Gideon, restaurant Israelitae sacra Baal, quae Gideon antea mandato diuino abrogauerat. Nec simpliciter ea restaurant, sed percutiunt foedus cum Baal, ut esset eis in Deum, hoc est, mutuis foederibus iuramento firmatis, promiserunt se obseruatuos sacra Baal perpetuo, nec unquam passuros, ut ea sacra aboleantur. Quisquis autem istud attentauerit, hunc ueluti sacrilegum extremo & atrocissimo supplicio afficiendum esse. Dicebant enim & palam iactabant, se tunc multa mala a Midianitis perpeffos, cum sacra Baal abrogarentur, nec ullam esse felicitatem, aut prosperam fortunam in Israel, nisi sacra Baal obseruentur. Simile est, populus restauret impias missas, postquam boni magistratus & p̄j Ecclesiastae in Domino obdormiant, qui impietatem missarum ex uerbo Dñi abrogauerunt. Ac profecto uidemus nunc uulgum hoc ipsum meditari. Euangelion enim dei extremo contemptu laborat, Ecclesiastae sordidissime tractantur, & p̄ fame enecant̄. Interim uulgus iactat, nullā unq̄ fuisse prosperā fortunam in Germania, postq̄ uetus religio sancte missae, sic em̄ loquuntur

tur, abrogata sit. Hęc sunt procemia impietatis iterum restaurandę, sed increpet Dominus Satanam, ne audeat rursus caput suum attolle re. Amen. Deinde, ut Israelite in Deum, ita & in Gideonem ingratis simi sunt. Nec mirum, si enim erga Deum non seruant fidem, quomodo erga homines gratitudinem seruant? non fecerunt, inquit scriptura, misericordiam cum domo Gideon. In sequenti em̄ capi. uidebimus q̄ Israelite, septuaginta filios Gideonis crudelissime trucidant, & eligant sibi in regem Abimelech, qui & ipse erat filius Gideonis, sed e concubina natus, non quidem illegitime, sed e serua, legitimo connubio coram Deo, Gideoni iuncta. Concubina enim in scriptura, non ea dicitur, quę illegitime ut scortū cum uiro concumbit, sed quę cum sit serua & ancilla a libero hoīe in uxorem ducta est. Antiquitus enim seruorum & ancillarum tam uilis conditio erat, ut quod ad ius ciuile pertinet, non haberentur pro hominibus. Et coniunctio serui et ancille, non diceretur matrimonium sed contubernium. Quanquam enim talis coniunctio, si legitime fiebat, uerum erat matrimonium coram Deo, tñ in hoc seculo non habebat conditiones ueri matrimonij, quippe q̄ liberi e tali coniunctioe nati non erant in potestate parentum sed Dñorum, & non erant parentum suorū heredes. Vnde etiam si liber ducebat seruam in uxorem, ea tñ non dicebatur uxor, sed concubina, non em̄ habebat honorem matrisfamilias, nec liberi ex eo matrimonio suscepti, erant legitimi heredes bonorū parentis sui, sed habebant tñ dona & legata. Hinc est, q̄ Abraam dicitur cuncta q̄ possedit dedisse filio suo Isaac, hic enim e libera Sara natus erat. Filij autē concubinarum (non scortorum, sed seruorum, quas Abraam in legitimas coram Deo uxores duxerat) dedit munera, quę nos legata uocamus. Hinc et Salomon scribitur habuisse uxores, septingētas reginas, hoc est, quas duxit liberas, habentes honorē matrisfamilias, & trecentas concubinas, quas non intelligas scorta fuisse, sed ueras uxores, non tamen liberas, sed seruas, carentes honore matrisfamilias. Extat & Canon Ecclesiasticus. Qui non habet uxorem, & pro uxore cōcubinam habet, a communione non repellatur, tamen ut unius mulieris, aut uxoris, aut concubinę sit coniunctioe contentus: Et alius: Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum, aut uxorem, aut certe loco uxoris, si coniunx deest, concubinam. In his canonibus concubina non pro scorto intelligenda est, sed pro legitima coniuge, quę non libera, sed serua, aut ancilla in matrimonium ducta est. Voco autem hoc in loco seruas aut ancillas, non eas, quę pro mercede aliquanto tempore alijs seruiunt, hęc em̄ proprie mercenarię dicuntur, & possunt esse libere, propter paupertatem autem seruientes, sed eas, quę sunt in potestate dominorum, sicut

sicut scriptura & lex ciuili de seruis & ancillis loquitur, quos nos uulgo uocare solemus, corpore proprios, hoc est qui corpore, & quicquid corpore acquirunt, in potestate dominorum sunt. Hæc de concubinato. Ut ergo ad explicandam Israelitarum ingratitude erga Gideonem redeamus, obserua quanta crudelitate Israelitæ familiam Gideonis tractent. Septuaginta enim filios Gideonis e liberis uxoribus natos trucidant. Abimelecum autem e serua uxore natum, in regem contra iura & ordinationes tam diuinas quam humanas eligunt. Hæc est uidelicet gratitudo quam Israelitæ Gideoni pro beneficijs suis reponunt. Quanquam enim Gideon meruerat ruinam domus suæ, ex institutione Ephod, Israelitæ tamen ingens scelus designant, quod liberos eius, qui optime de ipsis meritis erat, tam crudeliter interficiant. Hoc igitur exemplo docemur, quod hi sint mores huius seculi, ut quo plura beneficia hominibus contuleris, eo peiorem gratiam illi referant. Vulgo dicitur, gratia Satanæ est remuneratio huius seculi. Quod nobis præscribitur, non ut sciamus tantum, sed ut discamus, quomodo debeamus nos in tam ingratissimis huius seculi moribus gerere. Non enim recte nos geremus, si propter ingratitude hominum officia nostra deseramus, & homines uicissim male afficiamus, sic enim similes erimus huic mundo. Sed recte agemus, primum si credamus nos in officijs nostris, Deo potius quàm hominibus seruire. Quanquam enim indignus est mundus, cui seruiatur, dignus tamen est Deus, cui obediatur, cui etiam necesse habemus obedire. Deinde, si assuefaciamus nos ipsos, ut expectemus remunerationem nostrorum officiorum, non ab hominibus, sed a Deo. Quanquam enim nec peccatorum remissionem, nec uitam æternam possimus operibus nostris mereri, alia tamen premia obedientia nostra, propter promissiones Dei mereri dicimur. Atque adeo Dominus Deus noster hac potissimum causa permittit tantam impiorum ingratitude erga pios, ut assuefaciat pios, ad expectandum præmium in altero seculo, & ut doceat aliud plane seculum futurum esse, in quo bona remunerentur, & mala perpetuo puniantur.

CAPVT IX.

ABIIT AVTEM ABIMELECH FILIUS IERVB
ABAAL.)

In hoc capite depingitur ac repræsentatur imago tyranni, adeoque proponitur nobis exemplū uulgati illius dicti, quod de tyrannis fert. Intranant ut uulpes, regnant ut leones, moriuntur ut canes, hoc est, tyranni inuadunt & occupant regna astute, administrant ea ferociter, sed tandem

pereunt turpiter. Hoc autem non tantum in tyrannis, uerumetiam in priuatis impijs accidere uidemus. Hi enim solēt opes astutissimis imposturis congregare. Postquam uero ipsas acquisierint, magno fastu & aliorum præ se contemptu uitam agunt, sed tandem pereunt ipsi uana cum opibus suis ignominiosissime, et contingit eis, quod est in puerbio, male partum, male dilabitur, Principio igitur obserua quo astu, qua uafricie, quibus dolis Abimelech imperium Israelis inuadat. Etenim status regni nondum erat in Israel institutus. Et si institutus fuisset, regnum tamen Israelis potius ad unum e septuaginta filijs Gideonis, quam ad Abimelecum conferri debuisset. Quanquam enim & Abimelech erat filius Gideonis, tamen erat e serua natus, quemadmodū antea ostendimus, & dignitate, alijsq; uirtutibus longe ab alijs fratribus suis superabatur, quippe qui non ambiebant regnum aduersus ordinationem Dei, sed obsequebantur sententiæ patris eorum, qui recusando imperium, dixerat: Non dominabor uobis, nec dominabitur uobis filius meus, sed dominabitur uobis Dominus. Hæc autem minime secum reputans impius Abimelech, affectat imperium, & quod non potuit honeste, hoc conatur astute, seditiose, & impie adipisci. Primum enim suspicionem inicit cognatis suis maternis, quasi lxx. fratres eius regnum affectarent. Hæc est mera calumniā. Deinde quasi hoc certissimum esset, nec indigeret ullis argumentis, declamat longe consultius esse, ut unus dominetur, quam ut multi simul in una regione reges sint. Et hoc uere dicitur, sic enim scribit Homerus:

ὄνκ ἀγαθὴ πολυκοιρανίη, εἰς κοιρανὸς ἕστω.

Nec multos regnare bonum, rex unicus esto.

Et nobilis est uox illa Alexandri Magni: Neq; terram duos soles, neq; regnum duos reges ferre posse. Quid uobis est melius? inquit Abimelech, ut dominantur uobis uiri septuaginta omnes filij Ierub Baal, an ut dominetur uobis unus uir? Postremo captat sibi ipsi beneuolentiam a cognatione, Simulq; consyderate, inquit, quia os uestre & caro uestra sum. Atq; ita duobus argumentis suadet illis, ut seipsum regem creent. Altero, q; unius dominatus tolerabilior & melior sit dominatu multorum. Altero, q; ipse sit agnatus eorum, quo nomine haud obscure significat, se, si rex ab ipsis creetur, genus maternum clarissime illustraturum, & omnibus agnatis suis beneficia quæque collaturum. Hi sunt doli et astus, quibus Abimelech inuadit regnum Israelis. Calumniatur fratres suos, perstringit oculos agnatorum & Sichimitarum specie utilitatis, fortiter interim dissimulata & suppressa uera honesti ratione. Quid igitur fit? Postquam tanta utilitatis species agnatis Abimelech & ciuibus Sichimitis obiecta est, continuo inclinant cor suum post Abimelech, & dederunt ei multum pecuniæ de tem-

de templo Baal, ut congreget exercitum, et regnum suum quoquo modo possit confirmet. Hic ergo uide mihi ingenium uulgi. Primum, utilitatis specie facillime ad seditiones mouetur, nulla interim honesti ratione considerata. At probe cognoscendum est, nihil esse utile nisi idem sit & honestum, id quod etiam Ethnici uiderunt. Deinde uulgus est promptissimum ad expendendas pecunias & ad ministrandum sumptibus & seditionibus, cum interim ad pietatem & tranquillitatem publicam conseruandam ne teruncium quidem liberti animo expendat. Cuius rei etiam hisce temporibus manifestissima exempla uidemus. Ad impias Missas, nemo fere non fuit, qui non aliquid opum suarum haecenus contulit. In seditione Rusticorum, quae superioribus annis fuit, seditiosi in singulis fere pagis & uillis currus bellicos magna animi libentia parauerunt. Sed ad conseruandum ministerium Euangelij, et ad retinendam publicam pacem, nemo est qui quicquam aequo animo conferat.

QVI CONDVXIT SIBI INDE VANOS.)

Detestandum facinus, quod Abimelech fratres suos tam crudeliter interficit. Videtur autem sibi hoc minime impie, sed ad tuendum regnum et ad conseruandam publicam tranquillitatem, necessario facere. Innumera sunt exempla huius crudelitatis fratrum in fratres, apud Ethnicos scriptores. Regnum enim impatiens est consortis, neque consistere posse existimatur, nisi emulus e medio tollatur. Sic & Ioram rex Iuda occupans regnum patris sui, occidit fratres, & quosdam principes Iuda, quemadmodum scriptum est in posteriori libro Chron. capi. xxi. Huc pertinet etiam Absolom filius Dauid, qui regnum quod seditiose inuaserat, non se conseruaturum putabat, nisi concubinas patris impie sordidaret, & patrem crudeliter persequeretur. Extrema haec est non tam impietas quam stultitia. Regna enim non possunt retineri impie ac crudelitate, sed potius his moribus amittuntur.

QVOD CVM NVNCIATVM ESSET IOTHAM.)

Iotham minimus natus Gideonis, subtractus est cedi. Hic ergo conscenso monte Grifim, exprobrat Sichimitis impietatem eorum, & uaticinatur ipsis, quanta eos maledictio maneat, quod creauerint Abimelech regem, & auxilia ei prebuerint, ad interficiendos fratres eius. Caeterum, quo magis perspicue ob oculos ponat Sichimitis impietatem & ingratitude ipsorum erga familiam Gideonis, ac supplicium quod ipsis imminet, commemorat Apologum seu fabulam de arboribus petentibus regem. Quid uero, inquit, si cræ scripturae cum apologis aut fabulis? Duplex est, quantum in praesentia sufficit, fabularum genus. Alterum est scurrile, quod nec ad sacram scripturam, nec ad bonos uiros quicquam pertinet. Alterum est do-

IN CAPVT IX. IVDICII

Etum, eruditum, & serium genus fabularum, ut sunt Apologi & fabulae quaedam poetarum. Hoc genus excogitarunt prudentes uiri ad utilitatem humanam, ad institutionem morum, & formandam prudentiam in pueris & rudibus hominibus. Nuda enim praecipua morum ac sapientiae dura sunt & horrida, adhuc facile excidunt e memoria. Qui ergo ruditati & imbecilli hominum memoriae consultum uoluerunt, hi inuenerunt hoc genus docendi per apologos & fabulas, quod cum uoluptate quadam coniunctum est. Hinc nati sunt apologi Aesopi, qui certe mores & prudentiam formant. Hinc & poesis Homeri de Achille & Vlysse, item Vergilij de Aenea. Quae poeses nihil aliud sunt, quam praecipua sapientiae & institutiones morum, ac doctrinae aliarum multarum rerum, quae ad humanam uitam conducunt. Ad hoc igitur eruditum genus fabularum pertinet hic Apologus, qui hoc loco a Iotham commemoratur, similis admodum Aesopice fabulae de ranis petentibus regem. Nec existimes sacram scripturam alias ab huiusmodi docendi genere abhorrere. In hoc enim genus referri possunt uisiones Prophetarum, somnia Pharaonis et Nebucadnezaris, quae certe ipsa nihil erant, sed tamen ueritatem rei diuino spiritu reuelante demonstrabant. Quid si & in hoc genere recenseas parabolas Euangelicas, quae similitudinibus rerum, ueritatem rerum ostendunt. Iam & maiores nostri in Christianismo confictis quibusdam eruditis fabulis, rudi populo ueritatem rerum depinxerunt, quas tamen postea homines inepti tanquam ueras historias, res gestas, & ut uocant, Sanctorum legendas diuulgarunt. Talis est fabula de Tondalo, gradiente super angustissimo ponticulo, & portante grauem falciculum lignorum. Qua fabula adumbratur conscientia peccatis onerata, & iudicio Dei afflictata. Talis est fabula de Georgio equite interficiente draconem, & liberante filiam regis, qua delineatur Christus uincens Satanam, & seruans Ecclesiam. Talis est & fabula de Christophoro, portante puerum Iesum per mare, qua imago Christiani proponitur, qui Christianus per multas afflictiones Christum portet, & ingrediatur in regnum Dei. Has & alias multas fabulas, si pro rebus gestis & ueris legendis sanctorum arripias, quid stultius, quid ineptius? Iudicanda igitur sunt pro nugis, non tamen omnino uanis & ociosis, sed quae seria ducunt. Ceterum, quia Iotham recitat hoc loco Apologum de arboribus petentibus regem, obseruandum est, solenne esse, ut Apologo addatur *ἠπολογία*, quod alij uocant affabulationem, alij morale. Et est interpretatio apologi. Addit igitur ei Iotham epimythion ac docet quid sibi uelit hic apologus, dicens: Nunc igitur, si recte & absque peccato constituistis super uos regem Abimelech &c. Hoc epimythion hanc habet sententiam. Arborea significant populum Israel, qui petunt

petiit regem. Oliua, uitis & ficus, significant Gideonem & septuaginta filios eius, qui recusarunt regnum Israelis, & maluerunt suo statu contenti esse, q̄ aduersus ordinationem Dei regnū inuadere. Rhamnus autem significat Abimelecum, qui modo in regem creatus, paulo post magna crudelitate oppressurus est eos qui ipsum regem creauerunt. Vnde addit Iotham: Si peruerse egistis, egrediatur ignis in Abimelech, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello. Egrediaturq; ignis de uiris Sichem, & de oppido Mello, & deuoret Abimelech. Et hoc est speciale epimythion huius Apologi. Nos autem & generale audiamus. Primum em̄ docet hic apologus in arboribus petentibus regem, q̄ nihil sit stultius, nihil imprudentius uulgo. Presentem enim rerum statum fere semper fastidit ac nouis rebus studet. Quo tamen studio nihil melius consequitur, sed subinde maiores calamitates in suum ipsius caput adsciscit. Quid enim opus erat arboribus rege? Erant creatæ & ordinatæ in statu ualde tranquillo, hoc tamen non contentæ, ad exemplum quarundam gentium regem petunt. Quid ergo sit, nactæ regem Rhamnum, deuorantur ab igni eius. Sic uulgus non contentum presenti statu, seipsum in extremam perniciem conicit. Deinde docet hic apologus in Oliua, ficu & uite, prudentes uiros sua sorte contentos esse, nec confidere subitaneo uulgi fauore, nec affectare sublimiorē status conditionem, sed suam sortem, & si humiliorem, tamen tranquilliorē & securiorē retinere. Quod enim dicit oliua, nunquid possum deserere pinguedinem meam, & ficus, nunquid possum deserere dulcedinem meam fructusq; suauissimos, & ire, ut inter cetera ligna promouear? hanc habet sententiam: Num hoc prudentis esset uiri, donum suum diuinitus datū, & officium a Deo commissum derelinquere, & affectare sublimiorē conditionem & dignitatem, ad quam diuinitus nō est uocatus? Quid: num hoc esset sapere, securum & tranquillum uite genus reijcere, & seipsum in periculosissimum & laboriosissimum uitæ genus inijcere? Ceteræ, q̄ Iotham ait uitem dixisse: Nunquid possum deserere uinū meum quod lætificat deum & hoīes, non significatur deum bibere uinū, sed explicat hac forma loquendi excellentia uini. Nam et de cibo ualde sapido dicere solemus: Hic cibus tam sapidus est, ut nemo ipso præter Deum uesci deberet. Et præstans uinum, uocamus uinum dei. Herogots uuein: Adhec uini quoq; usus est in sacris que Deo fiebāt. Dicit ergo uinum lætificare Deum, q̄ eos lætificet qui diuina sacra faciant.

REGNAUIT ITAQVE ABIMELECH.)

Quod Iotham epimythio apologi sui futurum prædixit, hoc scriptura nunc re ipsa factum esse commemorat. Ciues enim Sichimitæ, qui antea tãto fauore profecuti sunt Abimelecum, ut ipsum in regem

G

IN CAPVT IX, IVDIC.

elegerint, & adiuuerint eum ad confirmandum regnum suum, ut lxx. fratres suos crudeliter trucidaret, hi nunc extremo odio Abimelecum prosequuntur, accusant eum latrocinij, conuiciantur ei, & deficientes ab ipso, in exitium eius conspirant, atq; adeo tantisper inter se uicissim insaniunt, donec alteri alteros opprimant, & lupus quod aiunt, lupum deuoret. In Abimeleco igitur & ciuibus Sichimitis obseruandum est, amicitias, conspirationes, foedera, & mutua auxilia impiorum aduersus Deum, aut uerbum, praecipuum, & ordinationem Dei, haudquaquam constare. Sed quo firmitus impij sibi inuicem adhærent, eo turpius uinculum eorum solui, & eos qui in designando scelere amicissimi sunt, paulo post effici inter se inimicissimos. Sic furum & latronum foedus ad furandum & latrocinandum inuitum, non potest esse constans. Sic adulteri & adulterę conspiratio ad necandum legitimum maritum, non potest esse firma. Habes & exemplum in posteriori lib. Chron. cap. xx. de Ammonitis, Moabitis & Edomitibus, qui cum conspirassent aduersus Iosaphat regem Iuda, & eduxissent aduersus ipsum exercitus suos, mutuis dissidijs ita turbantur, ut arma sua aduersus hostem parata, in seipsos uertant. Sic Iudęi et Romani ad extinguendum Euangelion Christi magna amicitia consentiebant, ita ut Iudęi clamarent: Non habemus regem nisi Cæsarem. Sed paulo post tanto odio in se mutuo ruunt, ut alteri alteros ad internitionem usq; perdiderint.

Hisce temporibus conspirant sacrificuli cum principibus ad extirpandum Euangelion Christi de uera iustificatiõne fidei propter Christum, contra doctrinam humanorum meritorum, Sed si expectaueris paulisper, uidebis inter ipsos odium plusquam Vatinianum, & deoque alter alterum non tam proditurus quam persequuturus est. Non enim potest eorum amicitia constare, qui aduersus Deum amici sunt: Salomon ait Prouerb. xi. Mali, quanq; inter se conspirent, non elabentur. Et Psal. ij. Astiterunt reges terre, & principes conuenerunt in unum aduersus Dominum, & aduersus Christum eius. Et sequitur: Qui habitat in caelis irridebit eos, & Dñs subsannabit eos. Ex his igitur disce foedera impiorum fugere, & nihil aduersus Deum populari fauore confusus, machinari. Quod autem hic dicitur: Misit dñs spiritum malum inter Abimelech & habitatores Sichem, non intelligas Deum esse authorem peccati, sed potius punitorem peccati. Nam qd Dñs misit malum spiritum inter Abimelech & ciues Sichem, non est malum peccatum, sed est bonum supplicium impietatis & crudelitatis Abimeleci & ciuium Sichem. Sic ij. Reg. xxij. Mittit Dñs spiritum mendacem ad decipiendum, hoc est, ad puniendum Ahab & impietatem eius. Et Ezech. xiiij. dicitur: Propheta cum errauerit, & locutus fuerit uerbum, ego Dominus decepi Prophetam illum. Et ad Roma. cap.

capi. i. Tradidit illos Deus per cupiditates cordium suorum, in im-
mundiciam. Huc etiam referre potes indurationem Pharaonis. Quan-
quam enim malum spiritum mittere, decipere, in desideria cordis tra-
dere, & indurare, per se mala sint, tamen quando Deus his tanquam
organis & instrumentis ad puniendam impietatem utitur, habent
quandam boni rationem. An non et homicidium malum est: attamen
si latro legitimo homicidio propter latrocinium afficitur, certe homi-
cidium iam honestum erit.

QVI CEPERVNT EVM DETESTARI.)

Ex odio nascitur seditio, aut bellum intestinum, inter Sichimitas et
Abimelech. Nam Sichimitæ nacti hominem seditiosum, nomine Ga-
al, eligunt eum in ducem contra Abimelech, quo confisi parant bellū,
& multa conuitia & scommata in absentem Abimelech iaciunt. Sebul
aut seruus Abimelech, & ordinatus ab Abimelech in magistratum ur-
bis Sichem, prodit ciues, fit prælium, uincit Abimelech Sichimitas,
diripit urbem & spargit sal in eum locum, in quo urbs sita fuerat, ut si-
gnificet, eum locum debere esse sterilem & maledictum propter ini-
quitate ciuium, qui illic habitauerunt. Primum igitur obserua in Si-
chimitis impiam humani ingenij prudentiā, in expiandis sceleribus,
& corrigenda temeritate sua. Hi enim ciues Sichem, antea magna im-
pietate & temeritate Abimelechum regem creauerunt, & auxilio ei fue-
runt, ut septuaginta fratres suos trucidaret. Nunc autem, cum poenite-
at eos facti, uide quibus rationibus temeritatem suam corrigere & im-
pietatem expiare studeant. Insurgunt seditiose aduersus Abimelech,
depredantur oēs pretereuntes in uia, maledicunt Abimelech, conuici-
antur ei, & in exicium eius conspirant. Atq; hanc putant esse rectā &
legitimā ratiōem, qua sua errata corrigant, & scelera expient. Nimitz
hec est impia prudentia carnis, q̄ existimet se nouis sceleribus, uetera
scelera tegere & expiare posse. Sic Dauid admissum adulteriū, homi-
cidio tegere uolebat, sic Iudas proditionem Christi, desperatione &
sui ipsius suspendio purgare, & expiare conabatur. At hoc non est sce-
lera purgare, aut expiare, sed est scelus sceleri addere & augere, & his
rationibus nullus sue saluti consulit, sed conijcit sese potius in grauio-
ra supplicia. Deinde, q̄ Sichimitæ, facta conspiratione, cantant quasi
in phano Baal, & læta conuiuia ducunt quasi iam potiti essent
uictoria, ac præ se Abimelechū ita fastidiunt, ut inter epulas & pocula
extremis eum conuicijs dilacerent, paulo post tñ ab Abimeleco uincū-
tur, & pene ad internitionem usq; delentur, exemplum nobis est, quo
admonemur, ut non cantemus encomium ante uictoriā, nec contemna-
mus hostem, quantumuis præ nobis imbecillem, & impotentem. Cæ-
terum, q̄ Abimelech reportat uictoriā e Sichimitis, & prosperam

habet fortunam in principio huius intestini belli, cum tamen Sichimitis in impietate, & crudelitate similis fuerit, docet nos, ut nullam causam ex fortuna, aut euentu iudicemus. Neque enim ob prosperam alicuius fortunam pronuntianda est causa eius iusta, neque ob aduersam, in iusta. Ordinavit quidem Deus uerbo suo, ut qui obedierit mandatis eius, sit benedictus, & habeat prosperam fortunam, qui autem non obedierit, sit maledictus, & habeat aduersam fortunam, sed hec Dei ordinatio in hoc saeculo, in quo Satan princeps est, sepe numero interrumpitur, idque Deo iustis de causis permittente & coniuente, donec iudicium Domini reueletur. Tunc enim uolente nolente Satana, ordinatio Dei promouet, ut & pius prosperam habeat fortunam, & impius aduersam. Vnde & hoc loco coniuuet Dominus ad prosperam fortunam impij Abimelech, ut per ipsum impij Sichimite puniantur. Mox autem et ipse Abimelech eo grauius punitur quo diutius supplicium eius dilatatum est. Sic Philistini saepe uicerunt Israelitas, non quia iustam haberent causam aduersus Israelitas, sed quia Dominus uolebat Israelitas in timore suo ex aduersis erudire. Sic Turca saepe uincit Christianos, non quia Turca sit populus Dei, & Christiani a Deo abiecti, sed ut hac uirga Christiani ad poenitentiam inuitentur. Mox enim futurum est, ut sicut Philistini perierunt, ita & Turce perpetuo pereant, Christiani autem resipiscences ex fide perpetua foelicitate fruuntur.

QVOD CVM AVDISSENT QVI HABITABANT IN TURRE SICHEM.)

Deuastata urbe Sichem, ij qui occupauerant turrim in Sichem diffidentes turri, confugiunt ad munimentum Dei sui Berith. Hoc erat templum Baal, & uocabatur templum Berith, hoc est foederis, ברית enim foedus significat. Nam post mortem Gideonis quemadmodum supra scriptum est, inierunt filij Israel foedus cum Baal, ut esset ipsis in Deum. Vnde uocabant eum Baal Berith, hoc est, Baal cum quo foedus ictum est. Ad huius igitur Dei templum, & munimentum eius confugiunt Sichimite, sperantes fore, ut quos nec arma nec moenia urbis, nec turris defendissent, eos munimentum templi, & auxiliu Dei Baal defenderent. Quid ergo fit: fumo & igni pereunt una oes, tantum abest, ut supplicium euadant. Obserua igitur, quod impij, iudicante Domino, nec in munitis urbibus, nec in magnis turribus, nec in munimentis deorum suorum tuti sint, sed quocumque fugiant, ibi inuenit eos ira Domini. Non erit, inquit Amos, fuga eis, & qui fugerit ex eis non saluabitur, Si descenderint usque ad infernum inde manus mea educet eos &c.

ABIMELECH AVTEM INDE PROFICISCENS VENIT AD OPPIDVM THEBEZ.)

Vide, ut Abimelech e prospera fortuna subinde insolentior fiat, adeo

adeoq; foelicitate sua pro more impiorum, ad maiorem tyrannidem & crudelitatem abutatur, existimans se ob prosperam fortunam iustū, & iustam habere causam. Atq; hoc est, quod Ecclesiastes cap. viij. dicit. Quia non profertur cito contra malos sententia, absq; timore ullo filij hominum mala perpetrant. Et Paulus, iuxta duritiam tuam (inquit) & cor poenitere nescium, colligis tibi ipsi iram in die iræ, quo patefiet iustum iudicium Dei. Nam q; Dominus, alijs impijs puni- tis, alios belle & foeliciter uiuere sinit, non significat, eos solos, qui puniuntur, impios esse, alios autem impios, qui nondum puniuntur, iustos & pios esse, sed potius aliorum impiorum supplicio inuitat ali- os ad poenitentiam: Ignorans, inquit Paulus, quod bonitas Dei ad poenitentiam te inuitat? Et Christus apud Lucam capite decimo ter- tio. Putatis, quod hi Galilei præ cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico uobis, imo nisi resipueritis omnes si- militer peribitis &c. Vnde & Abimelech debuisset sibi iudicium dei ob oculos posuisse, & secum cogitare: Quid: Si Dominus tanta seue- ritate Sichimitas affligit, qui meo potius quam suo consilio peccaue- runt, & adiuuerunt me in trucidandis fratribus meis, quanta obsecro grauitate in me tantorum malorum autorem animaduertet? Verum hæc cogitatio longe abest ab impio Abimelech, sed potius sentit se ob prosperam fortunam iustum. Quare & ipse mox turpissime perit. Nam cum oppugnaret turrim Thebez, & accederet ad ostium, ut ac- cenderet turrim, mulier fragmen mole desuper iaciens illisit capiti eius & confregit craneum ipsius. Atq; ita fortis ille gigas, sua fortitudi- ne confidens, a muliere, infirmo uidelicet uasculo, perit. Sic enim do- minus ordinat, ut qui sibi gloriosissimi uidentur, foedissime confun- dantur. Quid igitur Abimelech hætenus aliud fuit, q; rex tragicus? qui breui admodum tempore egit personam regis, nunc autem eo tur- pius moritur, quo honestiorem hætenus locum occupauerat, quem admodum in fabulis fieri solet, ut qui paulo ante fuerat Agamemno, aut etiam Iuppiter, tressis homuntio domum discedat.

ET REDDIDIT DEVS MALVM.)

Epilogus huius capituli, & expositio rer; gestar; uidelicet, q; deus ob hanc causam cõiuerit ad seditionem & bellū intestinū inter Abi- melechum et ciues Sichimitas, ut impij ppter impietatē suā puniantur.

CAPVT X.

POST ABIMELECH SVSCITAVIT.)

G iij

Bellum intestinum excipit pax in Israel. Nam post interemptum tyrannum Abimelech suscitauit Dominus legitimum iudicem, nomine Thola, qui fuit duplici nomine parue estimationis in Israel, primū quia erat e tribu Isaschar, quæ reputata est inter extremas tribus Israel. Deinde quia fuit filius patru sui, iuxta legem Deut. xxv. quæ iubet fratrem fratris semen excitare. Eiuscemodi enim liberi fere miseri esse solebant, propterea quod neminem habebant, qui paternum affectum erga ipsos gereret. Nam cum deputarentur in prosapiam demortui uiri, negligebantur tanquam alieni, a superstitionibus patribus, interim tamen non poterant a mortuis, in quorum nomen transibant, curari. Eligit tamen Dominus hunc Thola in iudicem, ut ostendat se non esse acceptorem personarum, & eligere contempta huius sæculi, ut pudefaciat nobilia. Hæc prædicatio confirmat fidem nostram in aduersis, & in contemptu nostri, ne sentiamus Deum nos non respicere in aduersis, quemadmodum alias sepe indicauimus.

HVIC SVCCESIT IAIR GILEADITES.)

Obscuro homini, uir illustris in officio iudiciario succedit, nomine Iair. Hic fuit uir nobilis, & foelix numero liberorum, ac potens maiestate equitatus, & imperio urbium, quæ ipsum principem agnoscebant. Habebat enim triginta filios equitatu illustres, & triginta ciuitates, quæ ex nomine eius appellatæ sunt *הַרְתַּיִר* hoc est, oppida Iair. Eligit autem nunc Dominus uirum nobilem in iudicem, ut diuerso exemplo declaret, se non esse respectorem personarum. Quanquam enim ignobilia in hoc mundo eligat ut pudefaciat nobilia, non tamen hoc consilio pudefacit nobilia, quia ea prorsus condemnet et abijciat, sed quia non uult ut gloriatur ulla caro in conspectu suo. Tolle igitur a nobilitate gloriationem, tunc nihil refert in conspectu Dei, nobilis ne an ignobilis, obscurus an illustris fueris. Vt enim in Domino nec est mas nec foemina, nec Græcus nec Iudæus, ita in ipso nec est nobilis nec ignobilis. Neque enim Deus confert beneficium nobili propter nobilitatem, nec ignobili propter suam ignobilitatem, sed tantum propter suam ipsius clementiam & misericordiam.

FILII AVTEM ISRAEL VLTRA FACIENTES MALVM.)

Quæres, quæ illa sit insania huius populi, quæ cum tamen frequenter propter impietatem affligatur, semper tamen ad impietatem idolatriæ iterum deficiat. Non existimandum est, id insano furore citra humanæ rationis iudicium, sed potius summa rationis humanæ prudentia factum esse. Videbant enim Israelitæ finitimas gentes prosperam habere fortunam in sua impietate. Se uero nunc hac nunc illa aduersitate affligi. Præterea uidebant magnam multitudinem eorum, qui

qui alienis dijs seruibant. Se uero respectu aliarum gentium paucis-
simum populum esse. Vnde sic sentiebant: Quid uos pauci? Soli ne
sapitis contra tot sapientes & potentes, non solum finitimos, sed eti-
am toto terrarum orbe dispersos? Hac igitur humanæ rationis pru-
dencia inuitati, deficiebant ad impietatem idolorum. Sed quid fa-
ciendum erat? Habebant Israelitæ uerbum Dei, multis, magnis, & ma-
nifestissimis miraculis confirmatum. Hoc igitur debuissent argumen-
tis humanæ prudentiæ opposuisse. Tametsi enim impietas scilicet est,
tamen docet uerbum Domini eam scilicet felicitatem non esse diuturnam. Et
quanquam multi potentes & sapientes impietatem sectentur, unus ta-
men Dominus Deus noster maior, potentior & sapientior est, non
solum omnibus hominibus in terra uitam agentibus, uerum etiam o-
mnibus creaturis in cœlo & in terra. Huius igitur Dei uerbum se-
ctandum est non figmentum humanæ prudentiæ: Ad eundem mo-
dum etiam nostris cogitationibus obuiandum est, quas suggerit Sa-
tan aduersus Euangelion Iesu Christi, quo docemur, quod habeamus re-
missionem peccatorum & iusticiam coram Deo, non propter meri-
ta & dignitates nostrorum operum aut uirtutum, sed propter miseri-
cordiam Dei, & propter meritum Christi filij Dei per fidem. Sed hu-
ic religioni contradicunt Iudæi Turcæ & Papistæ, hoc est totus orbis
terrarum. Quanquam enim Iudæi Turcæ & Papistæ nominibus re-
ligionum inter se diuersi uideantur, tamen in genere impietatis con-
ueniunt, & sentiunt remissionem peccatorum, & iusticiam coram Deo
contingere nobis propter merita & dignitates nostrorum operum.
Contra hanc igitur tam potentem & sapientem multitudinem oppo-
nendum est Euangelion de Iesu Christo, quod cum sit per Prophe-
tas promissum, per Christum & per Apostolos prædicatum, ac stu-
pendis miraculis confirmatum, iudicandum est potentius & sapien-
tius omnibus creaturis.

ET CLAMANTES AD DOMINUM DIXE-
RVNT: PECCAVIMVS.)

Israelitæ propter impietates suas a Philistinis & Moabitis annis de-
cem & octo affliguntur. Clamant igitur ad Dñm, & agnoscentes pec-
cata sua inuocant auxilium Dei. Atque hic est legitimus finis, ad quem
respiciunt afflictiones diuinitus peccatoribus immissæ. Dominus e-
nim immittit afflictiones, non ut perdat, nec ut significet afflictiones
pro peccatis satisfacere, sed ut his ad agnitionem peccatorum ducat, et
agnito peccato ad fidem & orationem ac resipiscentiã fidei fructus in-
uiter. Vnde & Israelitæ hoc loco ex afflictionibus in agnitionem pec-
catorum ueniunt, & confitentes ea, implorant auxilium Dei. Sed hic
mihi uide quàm durum se Dominus prima facie ipsis exhibeat. Non

addam, inquit, ut ultra uos liberem. Quamobrem? Quia antea saepe numero uos ab hostibus liberaui, nunquam tamen uere resipuistis, sed pacem nacti, ad idola defecistis. Quid ergo fit? num Israelitæ desperant & Deum derelinquunt? Nequaquam, sed quo magis a Deo repelluntur, eo uehementius instant & urgent ac resipiscunt. Projiciunt enim de finibus suis omnia alienorum deorum idola, & restaurant ac obseruant sacra a Domino mandata. Quibus rebus intantum mouent Deum, ut anima eius doleat super miserijs ipsorum, & factus eis propitius, mittat ipsis seruatorem nomine Iephthah, de quo postea. Memmorabile exemplum his maxime omnium obseruandum, qui sentiunt in conscientia sua iudicium peccatorum, & comprehensi sunt terroribus mortis ac inferni. Nam his qui adhuc securi in peccatis uiuunt, longe alia doctrina, quæ ea quæ est de remissione peccatorum, inculcanda est. Doctrina enim est ut cibus. Alius autem cibus ægroto, alius sano corpori conuenit, ita & alia doctrina ad securos, temerarios, & seipsos iustificantes, alia ad territos & peccata sua sentientes pertinet. Nam ad securos & temerarios, ea quæ in lege de ira Dei & supplicijs dicuntur pertinent, & concionandum est his de morte, Satana & inferno, ut discant peccata sua agnoscere & confiteri. Cum autem uenerint ad agnitionem peccatorum, & sentiant iram Dei, tum demum pertinent ad ipsos, ea quæ in Euangelio de gratuita misericordia Dei propter Christum prædicantur. Et his proprie conuenit exemplum quod hoc loco scribitur. Nam cum conscientia ira Dei & sensu peccatorum suorum turbatur, non aliter secum afficitur quæ quæ homo perpetuo damnatus sit, & Deus nunquam amplius uelit esse propitius, adeoque hoc uerbum intra se audit, quod hic ad Israelitas dicitur: Non addam, ut ultra te liberem. Quamquam enim prædicatur eiusmodi homini remissio peccatorum propter Christum, tamē sensu iræ diuinæ ita totus obrutus est, ut hanc prædicationem non admittat, sed secum subinde cogitare soleat. Fateor quidem concionem Euangelij de remissione peccatorum, & placato Deo propter Christum, ueram esse, sed nescio an ad me quoque pertineat. Et quamquam ad me pertinuerit, tamen ego multo sæpius in peccata relapsus sum, quam ut possint mihi ea remitti. Nunquam serio credidi, nunquam serio resipui. Proinde abiicit me Dominus, nec uult me amplius respicere. Hæ sunt tentationes grauissimæ, in quibus nobis cum Deo ipso & cum conscientia nostra, quæ est aduersus nos, mille testes, colluctandum est. In talibus igitur tentationibus proponendum est nobis ob oculos exemplum hoc loco positum. De clementia enim Dei propter Christum haud quamquam desperandum est, sed est instandum fide, urgendæ sunt promissiones Dei, & resipiscendum est, etiamsi Deus ipse & conscientia nostra cõdemnent nos.

Si e

Si enim fide instemus, profecto certissime fiet, ut Dominus iterum placatus nobis reddatur. Id quod & alia scripturæ exempla docent. In Exodo capite xxxij. reijcit Dominus populum Israel, & ait ad Moſen, Dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, & deleam eos. Sed cū urgeret Moſe promiſſiones Dei, & instaret fide, placatus est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus Israelem. In Mattheo ca. xv. Christus mulierem Cananæam ita auersatur, ut primum nec respondeat ei, deinde aperte reijciat eam dicens: Nō sum missus, nisi ad oues perditas domus Israeliticę. Postremo condemnet quoque eam: Non est, inquit, honestum, sumere panem filiorum & obijcere catellis. Attamen, cum illa instaret, audit tandem: O mulier, magis est fides tua, fiat tibi ut uis. In Luca capite undecimo uicinus a uicino noctu panem improbitate pulsandi impetrat, quem nunquam amicitia impetrare potuisset. Quo significat Christus, quod etiam si reijciamur a Deo in conscientia nostra, tamen petendum, quærendum, & pulsandum esse. Sic enim fiet, ut iterum ab ipso recipiamur. Huc quoque pertinet illud quod in prima Epistola Ioannis cap. tertio scriptum est: Si condemnat nos cor nostrum, maior est Deus corde nostro, & nouit omnia &c.

CAPVT XI.

FUIT IEPHATH GILEADITES.)

Placatus est Dominus Israelitis per fidem qua precati sunt ueniam peccatorum, & resipuerunt. Proinde suscitatur eis seruatorem, nomine Iephthah. Operæ precium autem est cognoscere quis fuerit hic Iephthah, ut in eo mirabilia iudicia Domini cognoscamus. Fuit igitur Iephthah Gileadites, uir quidem fortis, sed tamen de scorto natus. Qui autem de scorto nati erant, hi iuxta legem quæ est Deuterono. capite xxij. non ingrediebantur in Ecclesia, hoc est, non admittebantur in Republica Israelitica ad functionem publicorum & honestorum officiorum. Adhæc non habebant æquam portionem paternæ hereditatis cum filijs legitimis. Quæ in ciuili honestate ideo obseruatur, ne si isti haberentur ut filij legitimi, coniugium uileſcat, & scortatio approbetur. Vnde & legitimi filij Gilead enſciunt fratrem suum Iephthah de scorto natum, nec agnoscunt eum cohæredem bonorum paternorum. Cæterum, qui in hoc sæculo contemnitur, uidetur etiam coram Deo contemptus, abiectus & derelictus. Quare & Iephthah existimatus est, non solum a fratribus suis propter maternas sordes, contemptus, sed etiam Deo abominabilis. Quid ergo fit? Qui

ab hominibus reijcitur, is a Deo respicitur & eligitur in principem populi Dei. Dominus enim Deus noster eo necessitatis Gileaditas adigit, ut Iephthah in auxilium sui uocent, & in ducem ac principem eligant. Quid igitur uult sibi Deus q̄ cum antea Mose e Spiritu sancto legem de non admittendis ad publica officia illegitimis filijs tulerit, nunc autem DOMINVS eam legem uiolet, & Iephthah in iudicem & summum magistratum in Israel eligat? Profecto nihil aliud sibi uult, q̄ ut ostendat filium non portare iniquitatem patris coram Deo, & q̄ quis tanto plus respiciatur a Deo, quanto magis hominibus abominabilis est. Tamen si enim ob publicam honestatem discrimen inter legitimos & illegitimos in legibus & ordinationibus ciuilibus habendum est, tamen non est sentiendum q̄ tale discrimen sit coram Deo, siue enim quis legitimus siue illegitimus fuerit, si ueræ pietati operam dat, Domino Deo nostro acceptus est. Porro, quod Iephthah non recipit ducatum nisi Israelitæ prius stipulatione & fœdere principatum, si uictoriam adeptus fuerit, ipsi polliceantur, ut prudenter, ita minime ambitiose id agit. Mores enim huius sæculi ita se habent quod quis tantisper hominibus acceptus est, dum usui fuerit. Si eges, inquiunt, opera furis in cruce pendentis, de cruce deponendus est, & postquam satis eo usus fueris, tum mox iterum suspendendus est. Et boni uiri habentur similes platano aut nuci, sub cuius ramos homines in tempestatibus confugiunt, in serenitate autem impetunt eos lapidibus & perticis, ita uulgius in aduersa fortuna ad auxilia & consilia bonorum uirorum confugiunt. In prospera autem fortuna medium eis digitum ostendunt. Hos sæculi mores nouit Iephthah. Prudenti ergo consilio obuiam it hominum ingratitude, quod paciscitur cum ipsis de principatu post uictoriam, ne sicut antea eiecerant eum in exilium, ita postea quoq̄, cum satis eius opera usi essent, abominentur & expellant ipsum.

ET MISIT NVNCIOS AD REGEM FILIORVM AMMON:)

Iephthah in ducem electus, non confestim incognita belli causa in hostes irruit, sed prius negotium explorat, si forte publico potius iure q̄ armis hostem debellare queat, & mittit legatos ad regem Ammon, qui ex ipso causam belli sciscitentur. Exemplum prudentiæ. Omnia enim, inquit ille, prius experiri q̄ armis sapientem decet. Et Deut. xx. Si accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem &c. Cæterum cum rex Ammon eam regionem quæ est a finibus Arnon usque Iaboc & Iordanem, iniuste repeteret a filijs Israel, ostendit ei Iephthah per legatos iniustam repetitionem eius, & negat Israelitas eam regionem iniuste possidere. Primum, quia occupauerunt eam iu-

eam iure legitimi belli, quod gesserunt aduersus regem Amorraeorum, qui hanc regionem eo tempore quo Israelitæ ex Aegypto ascenderunt, iniuste occupabat, expulsis prius Moabitis, quemadmodum scriptum est in Numeris cap. xxi. quo in loco habes etiam quod iusto belli iure Israelitæ aduersus regem Amorraeorum pugnauerint. Deinde, si omnino Israelitæ hanc regionem iniuste possiderent, certe rex Moab, qui à rege Amorraeorum ex illa regione, priusquam Israelitæ ex Aegypto uenerunt, pulsus est, melius haberet repetendi ius quam rex Ammon, cuius ea regio nunc est. Cum autem ille haecenus non repetierit eam, ingens argumentum est, nec regem Ammon eam iuste repetere. Postremo, Israel tenuit hanc regionem trecentis annis, iure igitur prescriptionis possidet eam legitime: Ex his obseruabis, quod ea quæ legitimo bello acquiruntur, & prescriptione possidentur, naturali iure possideri. Et hoc ius naturale mentibus humanis diuinitus insculptum est, unde & ius diuinum dicitur: Atque hoc est, quod Iephthah ait. Dominus Deus Israel perdidit Amorraeam coram populo suo Israel. Et: Quæ Dominus deus noster obtinuit, in nostram cedent possessionem, hoc est, Amorraeus iusto & diuino bello, potentia Domini nostri superatus est a nobis, et obtinuimus regionem eius plane diuino iure. Quare diuino quocumque iure eam possidemus. Porro, quod quis diuino iure possidet, hoc etiam licet ipsi diuino iure per iustas & legitimas ordinationes retinere. Proinde, cum rex Ammon nollet acquiescere uerbis Iephthah, parat Iephthah bellum, & regionem, quam non potuit iusta transactione tueri, eam ui ac armis tuetur. Ergo ne licebit iure diuino uim ui repellere, & suam iustitiam uiolentia defendere. In hoc negotio uocationum diuersitas consideranda est. Aliam uocationem habet magistratus, aliam priuatus. Magistratus habet administrationem gladii. Proinde, si eam regionem, quam obtinet diuino iure, non potest legibus, aut amicis pacificationibus ab hostibus & latronibus tueri, licebit eam tueri armis. Et quascunque promissiones Dei habebant Iudices, duces & reges Israelitarum in defendenda sua regione Canaan, quam diuino iure possidebant, easdem habet quiuis legitimus magistratus in tuenda sua ditione, quam legitime obtinet. Vnde quod in lege dicitur ad dauidem, aut alium regem: Si exieris ad bellum contra hostes tuos, & uideris equitatus & currus & maiorem quam tu habeas aduersarii exercitus multitudinem, non timebis eos, quia Dominus Deus tuus tecum est. Hoc idem ad imperatorem Romanorum dicitur bellatorem aduersus Turcam, aut aduersus alium imperium Romanum, quod Imperator diuino iure obtinet, inuasorem. Priuatus autem non habet administrationem gladii, sed proposita est ei ordinatio legum ciuilium & publicorum iudiciorum. Quod igitur possidet, aut he-

reditate, aut labore, aut alio legitimo iure, hoc si non potest amica conuentione a uiolentia aduersarij tueri, licebit ei implorare auxilia legum, & uti publicis iudicijs. Et haecenus legitime agit, & utitur diuinis ordinationibus, quemadmodum alias demonstrauius. Quod si uero priuata temeritate arma capessat, tunc egreditur fines suae uocationis, & sibi ipsi iudicium recipiet.

FACTVS EST ERGO SVPER IEPHTHAH SPIRITVS DOMINI.)

Ex hoc loco uides, quare Iephtah in epistola ad Hebraeos inter sanctos Iudices commemoratur, qui per fidem effecti sunt robusti in bello, & incursiones exterorum auerterunt. Sed quid illud est, q̄ Iephtah uouit uotum Domino dicens: Si tradideris filios Ammon in manus meas, quodcunq; primum fuerit egressum de foribus domus meae &c. Hic obseruandum est, q̄ pro eo, quod nos habemus, id offeram holocaustum Domino, apud Hebraeos ita habetur, adscribam enim uerba Hebraea, וְהָיָה לַיהוָה וְהָעֵלִיתָהּ עֹלָה, hoc est, et erit Domini, & offeram ipsum holocaustum. Hoc uotum pleriq; omnes Ecclesiastici scriptores ita intelligunt, q̄ Iephtah sine discrimine uouerit, se, si uictoriam ab hostibus reportet, quicquid primum occurrerit e domo sua, id in holocaustum oblaturum, unde sentiunt filiam eius postea iugulatam & Domino immolatam fuisse. Sed cum nuper Onoltzbachij essem, admonuit me D. Bernandus Ziglerus, hebraicarum literarum professor doctissimus, amicus meus in Christo obseruandus, q̄ interpretes hebraei hoc uotum multo aliter intelligant & exponant, q̄ nostri scriptores. Nam quod in uoto dicitur וְהָיָה לַיהוָה Erit Domini, hoc interpretes hebraei sic exponunt: אִם אֵינְךָ רָאוּ לְעֹלָה, hoc est, si non ipsum fuerit aptum in sacrificium, Domini erit. Erit unitum (seu m̄cipabitur) seruituti Dei benedicti tantum. Et sequitur in uerbis Iephtah, וְהָעֵלִיתָהּ, hoc est, aut offeram illud in holocaustum. Nimirum, si eiusmodi fuerit, quod offerri liceat. Sentiunt enim Hebraei, uau cōiunctionem hoc loco non esse copulatiuam, sed disiunctiuam ut Exo. xxi: percutiens patrem suum aut matrem suam. Et mox: מַקְדֵּל אֲבִיו וְאִמּוֹ, maledicens patri suo, aut matri suae. Vbi similiter uau disiunctiua coniunctio est. Quod autem Iephtah occurrente filia discidit uestimenta sua, & dixit, heu me filia mea moerore afficis me & perturbas me, non sic clamat q̄ necesse habuerit eam ex uoto interficere, & in holocaustū offerre, sed q̄ non esset ex illa suscepturus nepotes ac haeredes. Premittit em̄ הֲיִתְּיָה אֵינִי לְךָ מִיָּמַי בְּוֹת בְּתוּלָה, ipsa erat unica, & non erat ei ex illa filius uel filia. Virgines autem, quae uouebantur seruitio Dei non tradebantur nuptum, sed recludebantur.

bantur. Vnde sequitur: Et dixit ad patrem suum: Fiat mihi uerbum hoc. Remitte a me duobus mensibus, ut uadam & defleam, (non inqt mortem meā) sed uirginitatē meā. Et postea: Reuersa est ad patrē suū, & fecit ei uotū suum qđ uouit, hoc est, mancipauit eam Dño, & reclu- sit eam. Sequit: Et ipsa nō cognouit uirū, hoc est, uirgo pmanfit, & fuit mos in Israel de anno in annum, ibāt filij Israel ליהודים filiā laphthah, hoc nostri exponūt, ad plāgendū, sed Dauid Kimhi exponit להשיחה hoc est, ad loquendum cum ea, & ad consolandum eam. Idē uerbum pro loqui & sermocinari habes ludi. ורתנו צדקות יהוה. Lo- quentur iusticias Domini. Et Deuteronom. capite vi. pro eo quod hebraice legitur ושיננתם לבניך Chaldaeus parapharastes reposuit ורתנו צדקות יהוה Narrabis ea filijs tuis: Hęc sententia uoti lephthah mi- hi maxime arridet, & iudico eam scripturæ consentaneam esse. Ab hac quoq; sententia non dissentit Lyranus, qui & si parux authorita- tis scriptor apud eruditos huius seculi habetur, tamen apud pios ho- nestum habet in ecclesia Dei locum, & non fuit hebreę lingue ac phra- seos eius ignarus, & sæpenumero haud sinistre scripturam interpre- tatur. Habes sensum uoti lephthah, reliquū est, ut etiam inquiramus genus, aut rationem eius uoti, uidelicet, num fuerit uotum licitum, & num licite obseruari potuerit, aut debuerit. Ac profecto, si sentias iux- ta Ecclesiasticorum scriptorum opinionem lephthah indiscriminatim uouisse holocaustum, & postea sacrificasse filiam, certe perspicuum est, qđ & uotum fuerit impium, & impletio uoti fuerit tam impia qđ crudelis. Non enim licet quicquam aduersus legem Dei uouere, aut uotum implere. Hominem autem in morem bouis immolare, est con- tra legem Domini. Quare id neq; uouere, neq; uotum implere licet. Quancq; enim lephthah alioqui pius fuerit, tamen fieri solet ut etiam pij, zelo Dei, qui non est secundum scientiam, turpiter errent. Quod si uero, id quod plus probo, hoc uotum disiunctiue intelligas, & sen- tias lephthah uouisse, se quod primum ex ædibus suis occurrerit, aut immolaturum in holocaustum si tale fuerit, quod per legem immola- re licet, aut Domino consecraturum, si non licuerit immolare. Et uo- uisse hoc, non tanquam opus pro peccatis satisfactorium, & meritum propter quod uictoriam adipiscatur, sed ad testandam gratitudinem suam erga clementiam Dei, & ad commendandam gloriam nominis Dei, ut & alij afflicti, in aduersis suis, non dico, uoueant, sed confi- dant in Deum, & nomen eius inuocent: si hoc inquam, modo & hac opinione sentias lephthah uouisse, certe uotum eius, imprudens qui- dem est, sed tamen non est impium. Huius enim generis uota per le- gem licebant, quemadmodum scriptum est Leuit. cap. xxvij. & Num. xxx. Et huc pertinent etiam exempla uotorum non ualde dissimilium.

Genie. xxvij. habes uotum Iacob. Numer. xxi. habes uotum Israelitarum. Et in Psalmis meminit sæpenumero Dauid uotorum, uidelicet, q̄ uelit post accepta beneficia prædicare clementiam Dei, & nomen Domini glorificare: Hoc genus uoti Deo gratissimum est. Sed imprudenter uouit Iephthah, eo q̄ unicam tantum filiam habebat, quam non cogitabat primam omnium obuiam uenturam. Quid ergo? num filia eius necesse habuit uoto patris obedire, iuxta legem. Honora parentes? Parentibus obediendum quidem est, sed quantum mihi est iudicij, quod sane exiguum est, sentio hanc filiam non necesse habuisse uoto patris sui obedire. Quid enim ad ipsum, q̄ pater imprudenter uouerit: uoueat quod in sua potestate situm est, non uoueat quod alienæ est potestatis. Iam nubere aut non nubere, ac Domino sanctificari perpetuo cœlibatu, non est tantum in potestate patris situm, sed requiritur etiam consensus filia. Cum igitur Iephthah absq̄ consensu filia sue uotum suum uouit, non necesse habuit filia uoto patris obedire. Attamen cum postea in uotum patris consentit dicens: Si aperuisti os tuum ad Dominum fac mecum quod pollicitus es, mox fit & ipsa rea uoti, & necesse habet iuxta publicum suum consensum uoto obedire, q̄n̄ quidem perpetuum cœlibatum seruare per se minime impium est. Ad hoc autem uotum haud quā conferenda sunt uota monastica, q̄ illud uouit Iephthah ad gratiarum actionem, hæc autem uouentur ad satisfaciendū operibus & meritis uotorum pro peccatis, quod est blasphemum in sanguinem Iesu Christi. Illud uotū potuit filia Iephthah iuxta legem obseruare, hæc autem pro ut est status rerum monasticarum sub Papatu, nō possunt pie obseruari, uel q̄ hi qui susceperunt ea, imbecilliores sunt q̄ ut queant ipsa seruare, uel quia coguntur abusus Missarum, impios cultus sanctorum, & alia contra sacram scripturam approbare & sectari. Quare hoc uotum Iephthah non probat uota monastica licita esse.

CAPVT XII

ECCE AVTEM IN EPHRAIM ORTVS EST.)
 Quod antea Ephraimitæ aduersus Gideonem conati sunt, quem admodum capite octauo scriptum est, hoc idem nunc aduersus Iephthah committunt. Parta enim uictoria grauissime succensent Iephthæ, q̄ non & ipsi ad bellum uocati sint, adeoq̄ tantum negocium Iephthæ conuicijs, minis & armis facessunt, ut necesse habeat sese armis defendere. Obseruabis igitur in Iephthah exemplum cursus rerum & casuum huius sæculi. Nam Iephthah cauit antea magna diligentia & prudentia, ne a cognatis suis post adeptam uictoriam iterum in exilium eijceret.

eijceretur, & cum nunc reportauerit uictoriam ab hostibus, uidebatur longe omnium foelicissimus. Sed ecce haec foelicitas affert secum magnam infelicitatem. Primum enim ingenti luctu afficitur propter filiam quam necesse habebat ex uoto Domino consecrare, deinde tanta seditione ab Ephraimitis excipitur, ut maius discrimen uitae suae inter amicos subeat, q̄ antea in bello inter hostes, & multo foelicior antea fuerit in exilio, quam nunc in principatu. Obserua igitur hunc esse cursum & sortem huius saeculi, quod nulla magna foelicitas in hoc saeculo nobis accidat, quin secum comitem adducat magnam infelicitatem. Prodest autem hoc ob multas causas diligenter obseruare. Principio, ne in prospera fortuna supercilium attollamus, nos ipsos arroganter iactemus, & proximum nostrum pro nobis fastidiamus. Quid enim superbires ob fortunulam paulo prosperiorem? mane paulisper, & mox aderit aduersa, ubi igitur erit fastus tuus? Deinde ut in prospera fortuna gratias agamus clementiae Dei, & quicquid id est beneficij, quod nobis contingit, non nostro merito, sed diuinæ misericordiae tribuamus, adeoque precemur Dñm, ut sicut clementer nobis foelicem rerum successum dedit, ita largiatur etiam, ut queamus in fide & spe imminentes calamitates sufferre. Ad haec prodest has fortunę uicissitudines etiam ob hanc causam obseruare, ut deterreat nos ab impietate, & assuefaciat nos, ne ad foelicitates huius saeculi per dolos, fraudes, & iniquitates contendamus. Cur enim impie tibi parares foelicitates huius saeculi? En ille foelicitates, quae iuste parantur, afferunt secum ingentem molem infelicitatum, quid ergo secum ferrent foelicitates iniuste parte? Ioseph e manibus fratrum suorum liberatus, id foelicitatis iuste consecutus est, q̄ factus sit prepositus in domo Putipharis principis in Aegypto. Attamen uide quanta mox infelicitas eum sequitur. Accusatur adulterij & conijcitur in carceres, & illic plus duobus annis captiuus detinetur. Quid igitur accidisset ei, si dolis & iniquitate ad hanc praeposituram peruenisset, & inique eam administrasset? Dauid peruenit in regnum suum iustissime, sed uideas eum maiores in regno afflictiones habere, q̄ antea in exilio. Quid ergo accidisset ei, si parasset sibi regnum iniuste? Quare danda est opera, ut non nisi pie & iuste ad foelicitates huius saeculi contendamus, quo infelicitates confestim imminentes in fide perferre possimus.

QVARE VADENS AD PVGNAM.)

In Ephraimitis habes exemplum arrogantis ignauie, & ignaue arrogantiae. Ephraimite enim in periculis timidissimi sunt, nec audent hostem intueri. Vnde Iephthah in apologia sua dicit ad ipsos: Vocauit uos, & non liberabatis me de manibus illorum. Sicubi autem metus abest, ibi maxime inflati sunt. Eiusmodi est ingenium ignaui-

rum hominum, qui cum nihil præclari faciant, aliorum tamen præclare factis inuident, detrahunt, & quoquo modo possunt obscurare ea conantur. Quales ferme hac tempestate sunt equites quidam thraſones, qui in conuiujs nescio quas cædes & strages spirant, ac Turcam ipsum quoad uinum habent, crudeliter trucidant, nonnunquam & ipsam Constantinopolim expugnant, cum uero post conuiuia Turcam aut alium hostem in conspectu habent, tum uero tanta timiditate corripiuntur, ut non aliter contremiscant, quam si Satanam ob oculos positum uiderent.

QVIBVS ILLE RESPONDIT: DISCEPTATIO ERAT.)

Habes iterum in Iephthah exemplum modestiæ, q̄ sicut cum Ammonitis, ita & cum Ephraimitis omnia prius uerbis q̄ armis experitur, & dat operam, ut seditiosos æquitate causæ compescat. Sed quid agas cum hominibus per se quidem ignauis, fiducia autem uirium suarum inflatis? Ephraimitæ enim in tantum non placantur iusta apologia Iephthah, ut & arma contra ipsum & familiam eius expediant, & Gileaditas quorum opera uictoria parta erat, fœdis conuicijs ac contumelijs laceſſant. Gileaditæ, inquiunt, sunt fugitiui Ephraim inter Ephraim & Manasse, hoc est, Nulla est ignauior, & magis imbellis familia in Ephraim & Manasse, q̄ Gileaditæ. Atq̄ ita Ephraimitæ accusant alios eius uicij, cui sunt ipsi maxime omnium obnoxij. Hoc est ingenium Adami, ut sua uicia in proximum reijciat, & quod ipse malè perpetrat, in alio grauiter reprehendat.

VOCATIS ITAQVE AD SE CUNCTIS VIRIS GILEAD.)

Iephthah init prælium cum Ephraimitis, & uincens eos trucidauit de Ephraim quadraginta duo milia. Hic mihi obserua prudentiam militarem in Gileaditis. Cum enim Ephraimitæ fuga dilaberentur, occupauerunt Gileaditæ uada Iordanis, ut illic exciperent fugitiuos. Ephraimitæ autem præ formidine negabant se esse Ephraimitas. Astu igitur quodam deprehenduntur a Gileaditis. Nam Ephraimitæ habebant idiotismum & proprietatem loquendi diuersam ab alijs Israelitis, quemadmodum in Germania, omnes quidem germanice loquuntur, Sueui tamen & Bauari diuersum genus loquendi habent à Saxonibus aut alijs Germaniæ populis. Sic & Ephraimitarum idiotismus nonnihil ab alijs Israelitis uariabat. Vbi enim alij literam s, spumantem exprimebant, quasi dicas sch, ibi Ephraimitæ s, blesum pronuntiabant. Vnde si Gileaditæ deprehendissent quendam negantem se Ephraimitam, iubebant eum pronuntiare hanc uocem שבלת schiboleth. Igitur si pronuntiabat iuxta suum idiotismum שבלת Si-boleth,

boleth, prodebat se sua ipsius uoce & interficiebatur. Significat autem schiboleth uel spicam, uel alueum fluminis. Quæres autem, num iuste fecerit Iephthah q̄ non pertulerit conuicia Ephraimitarum, sed gladio uindicauerit, & tot milia non hostium sed amicorum suorum occiderit? Respondeo, Iephthah fuit legitimus magistratus in Israel, Ephraimitæ autem fuerunt seditiosi, & priores intulerunt uim Iephthæ & Gileaditis. Quare duobus nominibus licuit ei resistere Ephraimitis, tum q̄ seditiosi fuerunt, tum q̄ priores arma Gileaditis intulerunt. In Ephraimitis autem foeda clade uictis, habes iudicium Dei aduersus seditiosos & gloriosos thralones, qui eo turpius confunduntur, quo fastidiosius alios præ se contemnunt.

Post Iephthah commemorantur in hoc capite tres iudices, Ebzan de Bethlehem, Elon Sebulonites, & Abdon, de quibus nihil memorabile scribitur, nisi q̄ duo ex eis recensentur fuisse numerosa prole foelices. Ebzan habuit triginta filios & totidem filias. Abdon habuit quadraginta filios & triginta ex eis nepotes. Ac ea nunc sunt sæcula, ea tempora, ij mores, ut magna reputetur infœlicitas & calamitas numerosam prolem habere, sed hæc opinio, argumentum est ingentis impietatis humanæ. Primum enim indicat homines plane exuisse ^{σοφῶν} hoc est, naturalem affectum parentum in liberos. Id quod & Paulus ad Romanos scribens, affirmat esse supplicium impietatis. Quemadmodum, inquit, non probauerunt, ut Deum agnoscerent, ita tradidit eos Deus in reprobam mentem, ut facerent quæ non conueniebant, repleti omni iniusticia, & alieni à charitatis affectu, pro quo apud Græcos est *ἀσέβους*, hoc est, qui ad naturæ sensum obstruerunt. Cæterum, qui sunt huius farinae, quomodo, obsecro norunt orationem Dominicam precari ac dicere, Pater noster? qui scis quid pater sit, & quo animo Deus erga te affectus sit, cum tu exueris oëm affectum paternum? Deinde arguit ignauiam & incredulitatem hominum. Timent enim, ne si plures habeant liberos, aut necesse habeant multas molestias in educatione eorum sufferre, aut non possint eos honeste nutrire. At scriptura docet multitudinem liberorum esse benedictionem Dei. Benedicam, inquit, tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli, & uelut arena quæ est in littore maris. Et alias: Vxor tua sicut uitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Et mox: Videas filios filiorum tuorum, pacem super Israel. Ceterum, numerosa proles ob multas quidem alias, potissimum autem ob has causas iudicat benedictio Dei. Primum, quod dum liberi excitant in parentibus affectum paternum, eo ipso admonent parentes, qualē affectum erga ipsos Dñs Deus noster pater cœlestis gerat. Deinde, q̄ quo plures liberos Deus donat,

eo pluribus promissionibus pollicetur se parentibus fauore suo affuturum. Singuli enim liberi singule sunt promissiones diuine liberalitatis.

CAPVT XIII.

FILII ISRAEL FECERVNT MALVM.)

Iterum peccatum, iterum supplicium, iterum liberatio describitur. Fecerunt enim, inquit, filij Israel malum coram Domino, qui tradidit eos in manus Philistinorum quadraginta annis. Ceterum liberatio facta est per Samsonem. Describitur ergo Samson primū a parentibus, conceptione et natiuitate eius. Deinde a strategematibus ipsius. Ac mater eius, erat mulier sterilis, fit autem adnunciante angelo Domini, foecunda, & parit Samsonem. Sic Sara initio erat sterilis, postea autem redditur foecunda. Sic & Hanna mater Samuelis. Sic Elizabeth mater Ioannis Baptistae. Hæc sunt exempla quibus licet nobis fidem nostram in probris & aduersis confirmare. Erat enim in Lege sterilitas magno probro. Itaque cum Deus has mulieres e probro suo mirabiliter liberauit, concipienda est fiducia, quod et nos in nostris probris sit seruaturus. Ergo ne, inquires, cuius sterili mulieri ex his exemplis credendum est, quod sit futura foecunda? Respondeo. Hæc exempla non exigunt talem fidem, ut sterilis credat se foecundam fore, sicut illæ mulieres. Sed talem exigunt, ad qualis confirmationem ea facta & scripta sunt. Non autem sunt facta ad significandum omnem mulierem sterilem fore foecundam, sed ad confirmandum, quod Deus sit auxiliator in probris siue magnis siue paruis. Quare si ob naturale uicium expositus fueris probro, confide, DOMINVS certissime liberabit te, eo modo quem ipse elegerit, & eo tempore, quod ipse decreuerit. Liberatio certa est, sed modum tempusque liberandi Deus sibi reseruat.

CVI APPARVIT ANGELVS DOMINI.)

Promittit angelus DOMINI uxori Manoah, mulieri sterili, filium, qui incipiat liberare Israel de manu Philistinorum, & iubet ipsum a uino abstinere, & nihil immundum edere. Erit enim (inquit) puer Nazaræus ab infantia sua. Porro, leges & regulæ uiuendi Nazaræorum, scriptæ sunt in Numeris capite sexto. Nam ut populus Israel ab instituendis absque uerbo Domini, nouis cultibus diuinis arceatur, iussit Deus Mosen instituere uota Nazaræorum, quæ his ferme regulis uiuendi comprehendit. Primum ut Nazaræi a uino & omni quod inebriare potest, abstineant, deinde ut nouacula caput eorum non tangat, postremo ut non intersint in mortuorum exequijs. Hæc

Hæ uiuendi regulæ institutæ sunt ex uerbo Domini, non ut iustificent factorem, aut ut meritis horum operum expientur peccata, & redatur Deus propitius, qua impia opinione hypocritæ obseruant uota & regulas monasticas, sed ut sint exercitia & rudimenta uiuendi sobrie, quibus Nazaræus non iustior, sed aptior & liberior reddebatur ad orandum in afflictionibus, aut aliud quid in cultu diuino peragendum. Et hæc uota Nazaræorum admonent nos Christianos non ad facienda uota monastica, sed ad sectandam sobrietatem & sanctitatem toto uite nostre tempore. Christiani enim ueri illi monachi sunt, qui per Nazareos adumbrantur. Horum enim interest, ut nunquā operam dent crapulæ & ebrietati. Cauete, inquit Christus, ne corda uestra grauentur crapula & ebrietate. Et Paulus: Nolite inebriari uino. Ac Christianorum caput non tangat nouacula, hoc est, nihil prophænum aut abiectum sit in Christianis, sed pili quoque capitis eorum sancti sint. Et super mortuum non ingrediantur, caueant a mortuarijs operibus quæ sunt peccata, & sinant mortuos sepelire suos mortuos, ipsi autem sequantur uocationem Dei. Hæ sunt regulæ uiuendi, quas in baptismo uouimus. Quare danda est opera, ne unquam uotum istud uiolamus. Sed quid inquires, sibi istud uult, quod Dominus liberaturus Israel, mittit angelum suum, non ad uirum, sed mulierem, eamque sterilem, & iubet filium nasciturum Nazaræum fieri. Diceres monachum non bellatorem promissum. Cur non iubet eum armis potius quam regulis Nazareorum exerceri? Ridiculum quidem hoc, quod DOMINVS agit, apparet, sed hic mihi uide sapientiam Domini, longissimo interuallo ab humana prudentia distare. Hæc enim inchoat opera sua, magna pompa & maiestate, sed ea turpem & foedum exitum forciuntur. Exemplum habes in ædificatione turris Babylonice. Illa autem inchoat opera sua humiliter & ridicule, sed perficit ea gloriosissime & sapientissime. Nam, quod hic iubet filium nasciturum Nazaræum fieri, ridiculum apparet, & ad futuram liberationem minime conueniens, attamen hic filius tanta fortitudine donatur, ut stupenda strategemata fecerit, & fortissimus omnium hominum fuerit. Est autem hæc differentia inter diuinam & humanam sapientiam diligenter obseruanda, primum, ut humilibus diuinarum rerum exordijs non offendamur, deinde ut & in afflictionibus non impatientes reddamur: Per has enim solet Deus gaudium & salutem inchoare. Dices autem: Crederem & ego uerbo DOMINI, si ut angelus apparuit uxori Manoah, ita & his temporibus apparerent angeli Dei, & adnunciarent nobis uerbum DOMINI? Respondeo, si non credideris prædicationi Euangelij de Iesu Christo, quod tibi per hoïem prædicatur, profecto nec angelis

crederes, imo si angeli aliud quiddam contra Euangelion de Iesu Christo prædicarent, omnino non essent audiendi, tantum abest, ut fides ipsis adhibenda esset. Nam Euangelion de gratuita remissione peccatorum propter Christum, per ipsum met filium Dei, qui superat omnes angelos, in terris prædicatum est, & confirmatum est uisionibus & concionibus prophetarum, apparitiõibus angelorum, miraculis Christi & apostolorum, ac sanguine martyrum. Proinde huic soli fides ita adhibenda est, ut nec angelum contra ipsum prædicantem audiamus.

QVÆ CVM VENISSET AD MARITVM SVVM.)

Exemplum modestiæ in uxore Manoah, q̄ referat uisionem suam ad maritum. Vxor enim est, non ex se sed è maritis suis sapere. Cæterum, quod Iosephus scribit, hanc mulierem fuisse speciosissimam, et maritum e narratione eius concepisse aduersus ipsam, nescio quam adulteri suspicionem, uerisimile quidem est, attamen scriptura commendat etiam ipsum maritum modestiæ. Non enim iudicat secundum suspensiones, id quod in morosis Zelotypis admodum uulgare est, nec expellit eam domo, sed uertit se ad preces, orans, ut si diuina uisio fuerit, rursus appareat. Quæ preces piæ sunt, primum, quod ob suspensiones non tradat uxorem ultimo supplicio, deinde quod petat, ut spiritus probetur. Iohannes enim in sua epistola ait: Non cuius spiritui credendum esse, sed probandum num ex Deo sit. In uerbis quidem Dei antea a DOMINO confirmatis, non sunt postulande noue confirmationes. Noue autem uisiones egent etiam nouis miraculis. Porro, hæc uisio, noua & incredibilis erat, primum, quia adnunciabat mulierem sterilem, fœcundam fore. Deinde, quia promittebat per hunc filium liberationem a Philistinis. Non quidem nouum erat, fœcundam e sterili fieri, aut Israelitas ab hostibus liberari, sed hoc nouum erat, quod hæc sterilis deberet fœcunda fieri, & quod hic filius liberaturus esset Israelem. Proinde confirmatur miraculo, q̄ angelus Domini pariter in flamma ascenderit in coelum. Obseruabis autem, q̄ curiositas Manoah ab angelo reprehenditur. Querit enim Manoah angelum, quod sit ipsi nomen: Et angelus reijcit hanc curiositatem respondens. Cur q̄ris nomen meum, quod est, Mirabilis: quasi diceret, insolens certe & admirabile nomen habeo, nec tua refert illud scrutari, ea potius ingre, quæ tua scire interest. Sed & Iacob Gen. xxxij. querit angelum, dic mihi, quo appellaris noie: sed & ipse uicissim audit, cur q̄ris nomen meum. Hæc autem curiositas significat ingenium humane nature eiulcemodi esse, q̄ in prædicatione uerbi Dei, non respiciat ad ipsum uerbum, sed ad personam eius, qui prædicat uerbum. Inquirit conditiones persone, non inquirat ueritatem uerbi. Querit, quod sit nomen, quæ
famili

familia, quanta scientia, quanta eloquentia, quam admiranda sanctitas eius sit, qui uerbum Dei predicat. Non querit, quod uere, quod fideliter predicet. Hanc curiositatem reijcit angelus, & docet, non in personam praedicatoris, sed in uerbum Dei respiciendum esse.

STATIMQUE INTELLEXIT MANOAH.)

Quod hoc loco Manoah & uxori eius e uisione angeli accidit, idem supra dictum est accidisse Gideoni. In quo etiam loco uisiones angelorum explicuimus. Nam quod Manoah intelligens hunc uirum, angelum dei fuisse, exclamat, morte moriemur, quia uidimus Deum, hinc adeo euenit, quod Manoah ex hac uisione agnoscit peccata sua, & uidet faciem Dei iratam. Vbi autem Deus apparet iratus, ibi nihil aliud esse potest, quam desperatio, non tam uitae corporalis quam omnis salutis. Quid ergo in tanta afflictione faciendum est? profecto non est ulla spes reliqua, nisi in Euangelio & promissionibus diuinae gratiae. Vnde hoc loco concionatur mulier marito suo Euangelion, & recreat eum, ne in desperatione pereat. Si Dominus, inquit, nos uellet occidere, de manibus nostris holocaustum & oblationem non suscepisset &c. hoc est, non admirabiliter nobis apparuisset. Memorabile uerbum mulieris, quod nobis in omnibus afflictionibus maximo usui esse potest. Si enim peccata agnoscimus & sentimus nos ob peccata damnatos, tunc uerbum istud mulieris in consolationem nostri accommodandum est nobis. Si Dominus nos damnare uellet, non duxisset nos in agnitionem peccatorum nostrorum. Reuelat enim peccata, non ut condemnent nos, sed ut seruet. Item, cum afflictiones imminet, & putamus nos perituros, cogitandum est: Si Dominus uellet nos perdere, non affligeret. Affligit enim omnem filium quem diligit &c.

PEPERIT ITAQUE FILIUM.)

Quod Deus promiserat hoc etiam praestat. Est enim Deus uerax, seruansque promissi. Vocatur autem nomen filij Samson, sed rationem huius nominis scriptura non tradit. *שמש* Schemesch solem significat. Inde Samson, quasi dicas, solarem.

CAPVT XIII.

DESCENDIT ERGO SAMSON.)

Descripta conceptione, natiuitate & adolescentia Samsonis, describuntur nunc mauortia facta eius, quibus iuxta uocationem suam incepit Israelitas a Philistinis liberare. Ac principio ducit, repugnantibus quidem primum parentibus eius, deinde autem consentientibus uxorem de filiabus Philistinorum, quo per coniugium occasionem querat

rebellandi Philistinis. Atq; in hac historia multa obseruatu digna
 sunt. Primum, habes in Samson exemplum prudentie, quod & si po-
 tuisset diuino iure absque ulla ciuili causa, Philistinis bellum inferre,
 quippe qui fuerat ab utero matris in hoc officium electus, ut Israeli-
 tas de manibus Philistinorum liberaret, tamen ut nulli hominum of-
 fendiculum daret, si absq; ciuili accusatione Philistinis bellum infer-
 ret, quaerit bellandi causam etiam coram hominibus iustam ac legiti-
 mam. Et quaerit eam per coniugium. Mira res, coniugium alias solet
 esse pacis & amicitie cognatorum & affinium inter sese occasio. Sam-
 son aut quaerit per illud occasionem diffidij & belli. Hoc exēplo prin-
 cipes interdum per coniugia & foedera, quae pacis sunt, non pacē, sed
 occasionem inuadendi & occupandi alienas regiones q̄runt. Et hi imi-
 tantur quidem altum Samsonis, sed nō eadem fide hoc agere possunt.
 Quod enim faciunt non equa uocatione, sed iniqua alieni imperij af-
 fectione faciunt. Quod aut Samson fecit, ex fide fecit, fuit em̄ diuini-
 tus uocatus, ut Philistinis bellū inferret. Vnde & in epistola ad Heb:
 inter exempla fidei cōmemorā. Deinde habes in Samson exemplū
 obedientiae & reuerentiae q̄ debetur parentibus. Quantū em̄ Samson
 spiritu Dñi p̄ditus erat, in ducenda tamen uxore auctoritatem parē-
 tum requirit. Vidit inter Philistinas uirginem sibi placentem, quam
 non copulat sibi per lenones aut lenas, non ducit eam clandestino con-
 tractu in uxorem, sed appellat parentes suos. Vidi inquit, mulierē
 in Timnath de filiabus Philistinorum, quam quaeso, ut mihi accipia-
 tis uxorem. Immane, quantum ab hac Samsonis modestia distent im-
 pij mores liberorum qui hac tempestate uiuunt. Hi enim laudi sibi du-
 cunt, si in contrahendo matrimonio parentes suos contempnant, palam
 citra omnem uerecundiam iactantes: Mihi, inquit, non parentibus
 ducam uxorem. Sed Deus tantum contemptum in liberis non feret
 inultum. Ad haec proponitur exemplum moderationis in parenti-
 bus Samsonis. Hi enim, & si primum pro auctoritate sua deterrere co-
 nantur filium a matrimonio peregrinae uxoris, quippe qui pro sua
 prudentia timent matrimonium Israelitae cum Philistina incommo-
 dum & periculosum fore, tamen cum Samson perstaret in suo pro-
 posito, non cogunt eum ad ducendam uxorem, quam nolit, sed per-
 mittunt ut ducat quam uelit. Tamen si enim ea sit auctoritas parētum,
 ut sine ipsorum consensu liberi non debeant contrahere matrimoni-
 um, & intersit parētum ut pro sua prudentia imprudenti & subitaneo
 liberorum calori, in contrahendo matrimonio cum inequalibus per-
 sonis, obuiam eant, tamen ea auctoritas non est concessa eis, ut illa
 tanq; tyrannide abutantur, et liberos cogant, uel prorsus a matrimo-
 nio abstinere, uel cum tali persona coniugium inire, quae parentibus
 tantum

tantum, non item filio placeat. Sic enim data est parentibus in liberos potestas, ut tamen interim non auferatur filio libertas eam reiiciendi, quæ inuito pro uxore obruditor, & eam petendi quæ animo suo ardeat. Honestè igitur faciunt parentes Samsonis, quod cum primum auctoritate sua conatibus filij restitissent, & uiderent filium ab animi sui sententia dimoueri non posse, non exigant eum tanquam contumacem ex edibus, non exhaeredent ipsum, sed relinquunt eum suæ libertati, & filium ad conciliandas nuptias cum Philistina comitentur. Magis enim consultum putant, auctoritate paterna administrare quod non approbant, quam permittere filio, ut quod probat, pro inconsulta animi sui temeritate administret.

CUNQUE VENISSENT AD VINEAS OPPIDI APPARUIT CATVLVS LEONIS.)

Primum strategema Samsonis, quod cum nulla arma in manu haberet, dilacerauerit tamen solis manibus catulum leonis in frustra quasi hœdum. Stupenda fortitudo, Leo enim bestiæ fortissimus est. Vincitur tamen a Samsonè. Hac uictoria significatum est, quod et si Satan qui obambulat tanquam leo rugiens, fortior est omnibus hominibus, potest tamen spiritu fidei fugari.

QVOD CVM SVMPSISSET IN MANIBVS.)

Hec ideo describuntur, ut uideas unde Samson enigmatis sui quod postea sequitur, occasionem acceperit.

CVM ERGO CIVES LOCI ILLIVS VIDISSENT EVM, DEDERVNT EI SODALES.)

Honestas nuptiarum describitur. Iuuentus enim non dat operam ebrietati & impudicis choreis, sed proponit inter se & dissoluit enigmata, quæ ut honesta sunt exercitia, ita ingenium acuunt, mores formant, & interdum pietatem adiuuant. Fuisse autem hunc illius gentis morem, uidelicet proponere sibi inuicem ænigmata & dissoluere, testatur etiam Iosephus, qui tradit Salomōem, & Hiram regem Tyri ænigmatibus & problematis inter se certasse. Cæterum, nos in erudiendis adolescentibus in utranque fere partem peccamus, aut nimium ad dextram, aut nimium ad sinistram declinantes. Etenim adolescentibus aut in monasteria includimus, ubi non sunt nisi difficiles & morosi senes, aut permittimus eis omnem licentiam. Quanto satius esset sic eos tractare, ut honestis exercitijs occupati, nec nimia indulgentia in omne scelerum genus ruerent, nec nimia duricia & austeritate animi eorum frangerentur, & ad omnia ciuilia & Ecclesiastica officia inutiles redderentur.

DABO VOBIS TRIGINTA SINDONES.)

Sindones sunt indusia lintea. Mutatorie autem uestes sunt nouæ tunice;

Hoc uero quod Samson dissoluenti enigma promittit, nihil aliud est
 q̄ quod nos uulgo dicere solemus. A pedibus usq̄, te de nouo uesti-
 am, si enigma meum solueris.

DE COMEDENTE EXIUIT CIBVS, ET DE
 FORTI EGRESSA EST DVLCEO.)

Hoc est enigma, quod Samson Philistinis iuuenibus proponit.
 Est autem antithesis, quę multo iucundius sonat in Hebręa lingua q̄
 in nostra. Et est sententia, Qui omnia alia deuorat, is prębuit ex se ci-
 bum, quem alij deuorent. Et qui in omnes est trux, crudelis & imma-
 nis, is exhibuit de se id quod est ualde iucundum, suaue & delectabi-
 le. Opponuntur enim inter se, deuorans cibum, & prębens cibum:
 Item, crudelis & iucundum.

CVNQ̄ ADESSET DIES SEPTIMVS, DIXERVNT
 AD VXOREM SAMSONIS.)

Philistini non possunt soluere enigma. Quod igitur non possunt
 solerti prudentia scrutari, hoc conantur dolis & minis discere. Aggre-
 diuntur uxorem Samsonis. Minantur ipsi & familie eius exitum, nisi
 extorqueat solutionem enigmatis a marito suo. Vxor igitur his minis
 territa, aggreditur Samsonem blandicis, ut solutionem enigmatis e-
 liciat et populo suo reuelet. Samson autem initio blandicis uxoris sue
 fortiter resistit, & uirum agit, non tam fortem q̄ prudentem, quod se-
 cretum a parentibus absconditum, nec uxori reuelare uoluerit. Quan-
 ta enim mala uiris qui secreta uxoribus suis reuelarunt, euenerint, te-
 stantur passim ueterum historiae. Sed ut scires non eiusdem esse, &
 corpore & animo fortem esse, persuadetur tandem Samson lachrymis
 muliebribus, & qui secretum suum cælauerat parentes, tam imbecil-
 lis animi est, ut non possit illud uxorculam cælare. Et qui uicerat leo-
 nem, non potest uincere lachrymas muliebres.

ET INCITAVIT EVM SPIRITVS DOMINI.)

Hic mihi uide, nullam illic benedictionem Dei esse, ubi res ma-
 lo dolo agitur. Cum enim Philistini non possent solertia enigma
 soluere, & timerent ne probro inscitiae, ignauiae & stuporis obijce-
 rentur, uertunt se ad dolum malum, quo solutionem enigmatis discant.
 Sed qui dolo se probrum euasisse sperauerant, hi conijciunt non tam
 se quam uicinos suos, & totam gentem Philistinorum in extrema
 mala.

Propter hanc enim rem, Ascalones, qui & ipsi Philistini erant, a
 Samson trucidantur & spoliantur. Vxor legitima derelinquitur, &
 alteri datur. Regio Philistinorum deuastatur, & multa alia mala, quę
 postea sequuntur, Philistinis accidunt. Quare non est quod spes te
 felicem doli mali successum habiturum.

DES

DESCENDIT ASCALONEM ET PERCVSSIT
IBI TRIGINTA VIROS.)

Si hæc Samsonis facta absq̃ Samsonis persona & uocatione consy-
deraueris, profecto plusq̃ barbara & Schytica sunt. Quid enim cru-
delius, q̃ ad soluendum debitum tuum in proximos grassari, & ipsos
trucidare ac spoliare? Quid inhumanius q̃ ob futilitatē muliebre,
legitimam uxorem derelinquere? Si enim male habuit Samsonem
quod uxor prodidit arcanum Philistinis, cur ipse prior non continu-
it os suum? cur à muliere exigit taciturnitatem quam ipse non præsti-
tit? Sed hæc facta cum Samsonem considerata, non possunt iniqua dici,
Samsonis enim uocatio erat ut Philistinis mala inferret, & quacunq̃
posset occasione eos opprimeret. Vnde additur hoc loco: Incitauit e-
um spiritus DOMINI non spiritus Satanæ. Proponitur autem no-
bis Samson, non ut absq̃ uocatione Dei proximis nostris mala infera-
mus, sed ut id studium, eam uehementiam & diligentiam in uocatio-
ne nostra adhibeamus quam Samson in sua uocatione adhibuit.

CAPVT XV.

POST ALIQUANTVLVM AVTEM TEM-
PORIS.)

Samson sedata indignatione uisit uxorem suam una cum munu-
culo, sed inuenit eam alteri traditam. Quanquam autem socer eius uel-
let ipsi dare sororem uxoris iuniorem & pulchriorem, noluit tamen
eam Samson accipere, ut habeat iustam causam aduersus Philistinos.
Hic iam uide quo consilio Samson noluerit uxorem ducere de filia-
bus Israel, sed de filiabus Philistinum. Non enim id fecit uel libidine
uel contemptu parentum, sed ut hoc coniugio occasionem exercendæ
sue uocationis quæ erat Philistinis mala inferre, inquireret. Hoc igitur
exemplo admoneantur parentes, ne sint difficiles & inexorabiles,
si quando liberi ipsorum contrahant matrimonia absq̃ consilio &
consensu suo. Quanquam enim liberi sine autoritate parentum con-
trahentes peccent, tamen nihilominus interdum fieri potest, ut qui i-
ta matrimonium contrahant, diuinitus copulentur. Deinde uide ma-
gnam soceri Samsonis imprudentiam. Cum enim Samson abiisset ira-
tus, suspicatur socer ipsum nunq̃ rediturum, nec expectat reditum ei-
us, nec rem nuncijs explorat, sed suis suspicionibus credens, statim fi-
liam suam alteri tradit. Qua imprudentia conijcit Philistinos in in-
gens damnum (Regio enim ipsorum a Samsonem deuastatur) et se ac fa-
miliam suam in extremam internitionem. Philistini enim combusse-

runt ob hanc causam, & mulierem & patrem eius. Hoc exemplo mo-
nentur omnes tam parentes q̄ liberi, ut in causis matrimonialibus
nihil temere, & e solis suspicionibus agant. Sunt enim qui absente ali-
quandiu coniuge, mox alterum coniugem quærunt. Sunt item, qui
concepta suspitione adulterij de coniuge statim ad aliud matrimoni-
um aspirant dicentes, fugam coniugis & adulterium, separare matri-
monium. Ac uerum quidem est matrimonium propter adulterium,
& propter fugam coniugis, in aliquibus casibus, iuxta leges separari,
sed de his rebus prius publico iudicio cognoscendum, & diuortium
legitime pronunciandum est. Nemo enim debet in sua ipsius causa
iudex & reus seu actor esse.

BONAM CAUSAM HABEO ADVERSVS.)

Faciam, inquit Samson, uobis malum. Quid hoc? num hoc ius-
te a Samson dicitur? Nonne lex requirit, ut etiam inimicis bene-
faciamus? quomodo igitur Samson recte dicit, faciam uobis malum?
Sed memineris hæc uerba non esse hominis priuati, sed eius qui uo-
catus est a Domino, ad affligendos Philistinos. Vnde hæc uox in
Samson tantundem ualeat, ac si priuatus quispiam diceret: Dabo ego
uobis eleemosynam.

**PERREXITQVE ET CEPIT TRECENTAS
VVLVES.)**

Cui ex uocatione Dei licet bellare & occidere hostes, huic etiam li-
cet omnibus belli iuribus in hostem grassari, uidelicet, depopulari a-
gros, incendere domos, abigere iumenta, & si que sunt huius generis.

**COMBVSSERVNT TAM MULIEREM QVAM
PATREM EIVS.)**

Hic primum uide uerissimum esse quod Salomon ait: Quod timet
impius accidet ei. Vxor enim Samsonis & pater eius, timuerunt, ne si
Samsonem non circumueniant dolis, & arcanum eius prodant Philis-
tinis, internitione a Philistinis pereant. Sic em̄ minati fuerant uxori
Samsonis, Si non persuaseris uiro tuo ut indicet enigma, incendemus
te & domum patris tui. Quod ergo & ipsa & parens eius timuerunt,
ac iniquitate cauere uoluerunt, hoc accidit eis. Deinde observa in Phi-
listinis uarietatem & inconstantiam auge popularis. Ante enim focer
Samsonis magnus & clarus apud Philistinos habebatur, q̄ dolis cir-
cumuenerit Samsonem & nomen Philistinum a probro incitig et stu-
poris uindicauerit. Nunc aut̄ postq̄ noie eius aduersis affliguntur, mu-
tant fauorem in tm̄ odium, ut & ipsum & filiam eius igni comburāt.
Hæc ideo nobis proponuntur, ut caueamus, ne malis artibus fauorem
popularē nobis paremus. Talis em̄ fauor procemiū est maximi odij.

QVIBVS AIT SAMSON: LICET HÆC FECERITIS.)

Percussit

Percussit (inquit) tum humeros, tum scœmora eorum magna plaga, hoc est, trucidauit quoscunq; obuios Philistinos, siue claros siue obscuros, siue fortes siue imbecilles, siue principes siue uulgum, idque fecit quoquo modo potuit. Quid autem hac Samsonis crudelitate immanius? ecquis alius Samson apparet, si facta eius iuxta externam speciem cōsideres q̄ crudelis quedam & immanis belua, que nec Deum nec hoies regrens, in quosuis obuios pro furore suo grassetur? Quid enim iniquius q̄ ob unius delictum totam regiōem deuastare? Quid item iniquius, q̄ punito a ciuibus malefactore, nihilominus in reliquos ciues grassari? id quod a Samsonē fieri uidemus. Depopulatur enim agrum Philistinorum, propter soceri sui unius uidelicet hominis iniquitatem. Deinde, tamen si Philistini supplicio affecerant socerum Samsonis, q̄ filiam suam alteri tradidisset, tamen Samson non exatiatur hoc supplicio, sed quoscunq; forte nanciscit, occidit. Dicas Samsonem publicum latronem, non legitimū bellatorem. At supra monuimus Samsonem cōsiderandum esse iuxta suam uocationem, qua diuinitus ab utero matris electus & ordinatus est, ut Philistinos affligat. Quod igitur fecit ex fide uocationis sue fecit. Quod autem est ex fide, peccatum non est. Nobis uero non ipsum factum obedientie, sed ipsa obedientia imitanda est, ut sicut Samson fideliter sua uocatione defunctus est, ira & nos nostræ functioni fideliter seruiamus.

ET DESCENDENS HABITAVIT IN SPELVN
CA PETRÆ ETHAM.)

Bellum oritur inter Philistinos & tribum Iuda propter Samsonem. Primum igitur obserua multo maiorem iusticiæ speciem in Philistinis q̄ in Samsonē. Hic enim noluit exatiari, q̄ quis socero eius punito. Illi autem affirmant se nulli molestos fore, si saltem Samson malefactor eis tradatur. Sic fere impij aduersarij maiorem iusticiæ speciem habent, quam pi j ambulantes in uocatione DOMINI. Deinde, sicut supra in Philistinis erga socerum Samsonem, ita & nunc in Israelitis erga ipsum Samsonem cognoscenda est inconstantia popularis fauoris. Hi enim, Samsonē Philistinos fœliciter opprimente applaudebant, gaudebant, Samsonem seruatore suum in cœlum efferbant. Post autem a Philistinis propter Samsonem afflicti, ita in diuersum mutantur, ut ipsimet ad comprehendendum ipsum, & Philistinis captiuum tradendum proficiscantur. Ac principio exostulant cum Samsonē, Samson autem respondet eis barbare quidem & immaniter secundum priuatorum hominum condiciones, sed pie & iuste secundū suam uocationem. Sicut fecerunt, inquit mihi, ita feci eis. Hoc est iudicium DOMINI, ut par pari referatur. In lege enim dicitur. Manum pro manu, pedem pro pede, oculum pro oculo &c. Et in Euan-

gelio: Quo iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis. Et qua mensura metimini, ea metientur uobis alij. Sed hoc iudicium non licet cuius exequi. Nam ut in rebus ciuilibus non quilibet priuatus imperatoria iura exequitur: horum enim executiones magistratibus & praefectis demandatae sunt: sic & in diuinis iudicijs, non cuius commissa est executio eorum, sed ihs, qui speciali uocatione ad hoc diuinitus ordinari sunt. Cum igitur Samson nondum natus, in hoc munus a Deo sanctificatus sit, ut gladio & fortitudine sua Israelitas a tyrannide Philistinorum liberare incipiat, quod alius impie, ipse pie dicit, sicut fecerunt mihi, ita feci eis, hoc est, par pari retuli. Postremo ingens fidei fortitudo in Samsonem notanda est. Quanquam enim donum fortitudinis, quo praeditus erat, non habebat in sua ipsius potestate, sed utebatur eo prout spiritus dabat, (quemadmodum & apostoli habebant donum sanandi infirmos, sed non licebat eo uti, nisi spiritus dictaret,) tradit tamen sese ex fide captiuum tribui Iudae, ut ab ipsis captiuus Philistinis tradatur. Quod quid aliud est, quam sese presentaneae morti exponere? Sed qui ambulat in uocatione Dei, & fidem habet, is certus est, sese auxilium Dei in media etiam necessitate habiturum: Vnde cum Philistini triumphantes ei occurrerent, & iam se ab hoste suo liberatos sperarent, irruit spiritus DOMINI super eum, & sicut ligna igni consumuntur, ita uincula manuum eius liquefacta sunt, & arrepta putri mandibula asini percussit ea mille uiros. Exemplum stupendae fortitudinis, quo comprobatur nobis, non quidem, quod quiuis ligatus possit soluere uincula sua, & hostes mandibula asini, uel putri stipite occidere, sed quod quicumque ambulat in uocatione Dei, is semper idonea adipiscitur instrumenta, quibus in periculis seruetur, ut exempli gratia, si quis uocatus est ad bellandum contra hostes, is si careat armis ferreis, certe preuustis sudibus hostes poterit opprimere, si modo in fide hostes adoriatur.

ET AIT: MANDIBVLA ASINI ANTIQVI MANDIBVLA ASINI PERCVSSI MILLE VIROS.)

Sunt qui sentiant Samsonem his uerbis uires suas iactare, & de fortitudine sua iuueniliter gloriari, ac propter hanc iactantiam a DOMINO siti puniri, ut disceret, humanis uiribus a Deo derelictis nihil imbecillius esse. Sed ego puto haec uerba esse *ἐπιεικὴν* & carmen triumphale, quo Samson commendat diuinam liberalitatem & gratiam, quod Deus praestiterit uictoriam, ac salutem, non fortitudine equi seu arcus, non acutiae gladij, sed putri mandibula antiqui asini, instrumento uidelicet non solum fragili, sed etiam abominabili. Solet autem fortissima per imbecillia, & sapientissima per stultissima operari. Vnde & in monumētum huius miraculi, locus, in quo hoc strate
gema

gema gestum est, uocatur רמת להי Ramath lehi, hoc est, eleuatio mā dibule, ut quicumque audiat nomen huius loci admoneatur miraculi in eo loco gesti, & confirmet fidem suam, q̄ & Dominus ipsum in uocatione diuina periclitantem, per admiranda & nunquam cogitata organa seruaturus sit.

SICIENSq̄ VALDE, CLAMAVIT AD DOMINVM ET AIT: TV DEDISTI.)

Adepta admirabili et gloriosissima uictoria Samson siti cruciatur, & siti tm̄ non emoritur. Ea enim est rerum in hoc seculo uicissitudo, ut in foelicitatem, foelicitas, & foelicitatē, in foelicitas comitetur. Quo ergo Samson in tanta siti sese uertit: profecto nō ad maledicta, execrationes, & desperationes, id quod impij bellatores in rerum penuria facere solent, sed uertit sese ad DOMINVM Deum nostrum per orationem. Clamauit ad DOMINVM. Tu dedisti in manu serui tui salutem hanc maximam, & en siti morior, & incidam in manus incircuncisorum. Hec uerba testantur animum Samsonis plenum fide fuisse, Dedisti uictoriam, dabis & potum. Dedisti paulo ante salutem maximā, dabis & salutem minorem. Seruus tuus sum, & ambulo in uocatione tua. Non igitur derelinques DOMINE, seruum officio a te demando fungentem perire. En morior siti, & incidam in manus incircuncisorum, sed longe aliter sonant promissiones tuæ, uidelicet, quod liberaturus sim Israelitas a Philistinis, & quod per circumcisionem certus esse debeam, te mihi Deum esse propitium, Philistinos autem incircuncisos, a te abiectos & condemnatos. Quare obsecro te, ne me in hac rerum penuria auxilio tuo destituas &c. Ex his intelligis hanc orationem plane ex fide profectam esse. Fit ergo Samson uoti sui compos, & ecce miraculum. Aperuit DOMINVS dentem molarem in mandibula asini, & egressæ sunt aquæ, Et Samson bibit, ac redijt spiritus eius & reuixit. Et in monumentū huius miraculi locus dictus est, fons inuocantis ex mandibula. Primum igitur obserua quanta sit energia orationis ex fide proficiscentis. Deinde, quod Deus neminem in diuina uocatione ambulanti auxilio suo destituat, nec sinat quenquam tentari super id quod possit, sed faciat una cum tentatione euentum, q̄ sufferre queat. Ridiculum quidem apparet, quod DOMINVS tribuat fontem è dente mandibule asini, sed Deus ideo operatur sapientiam suam per stulticiam, ut confundat sapientes. Nam & Israelitis aquam e saxo per Moſen dedit, quod & ipsum humanæ rationi incredibile uideretur, sed obseruandum est, DOMINVM Deum nostrum citius ferre & efficere, ut rerum natura inuertatur, quam ut ambulantes in uocatione diuina, & confidentes in Deum, in necessitate derelinquantur.

CAPVT XVI

ABIIT QVOQVE IN GASAM ET VIDIT IBI.)
 Haectenus functus est Samson uocatione sua in timore DOMINI. Nunc autem a timore Domini deficiens, paulo post dono quoq; fortitudinis destituitur. Derelicta enim uxor legitima, scortationem sectatur, & abit in Gasam, quae est urbs Philistinorum, atque ibi meretrici coniugitur. Hic ergo uide mihi in Samson humani cordis licentiam, & temeritatem. Cum em̄ Samson uidebat sibi donum fortitudinis collarum esse, & licere sibi ex uocatione sua, in Philistinos, quoquo modo posset, grassari, adeoq; in hac uocatione prospera haectenus fortuna usus erat, eo tandem temeritatis & licentiae deuenit, ut existimauerit sibi licere, quicquid libeat, & quia concessum erat, Philistinos trucidare, putabat & sibi concessum esse, cum scortis Philistinorum scortari. Nec hoc ingenium in Samson t̄m reperiēs, sed morbus hic humanum ingenium natura occupat. Si concesseris hominibus praedam, putant sibi licere etiam homicidium. Si concesseris homicidium in hostes, existimant sibi quoq; licere homicidium in amicos. Concede alijs conuiuia, & mox putant sibi comptationes & ebrietates concessas. Magistratus uocatus est ad puniendum subditos suos malefactores, sed ecce, postq̄ hoc sibi licere uident, abieeto timore Dei putant sibi licere, quiduis libet, atq; adeo cui datum est ex uocatione ne peccet, aut iurando, aut interficiendo, aut depraedando legitime, is continuo existimat sibi datum esse, ut liceat ei peierare, illegitime quosuis depraedari ac interficere. Hac autem opinione et licentia nihil est iniquius, nihil sceleratius. Ut enim diuinae illae uocationes, suas habent personas, quas non transgrediuntur, ita habent & suos fines, intra quos consistere oportet. Vocatus es ad opprimendum hostem, non ideo uocatus es ad opprimendum ciuem, aut ad scortandum, aut ad peierandum. Vocatus es ad poenam inferendam malefactori, non uocatus es ad diripiendas opes innocentium ciuium. Vocatus es ad praedicandum Euangelium, hoc est, ad soluendum a peccatis, & ligandum peccatores in terra, ut & in coelo ligati sint, non ideo uocatus es ad deridendum Reges e maiestate sua, & ad regna huius saeculi administranda, nec ideo uocatus es ad concedendum peccatoribus ut ipsis impune peccare liceat. Quare danda est unicuiq; opera, ut intra fines suae uocationis consistat, nec, quod iniquissimum est, sentiat sibi quiduis contra omnes leges licere, qui non sit uni aut alteri legi, ex uocatione sua legitima obnoxius.

DOR

DORMIUIT AVTEM SAMSON VSQVE AD
MEDIUM NOCTIS.)

Esi Samson contra legem Dei cum Philistina scortatur, tamen nō destituitur continuo fortitudine sua, sed liberatur ab hostibus. Apprehendit enim ambas fores portæ cum ambobus postibus et uectibus, impositasque humeris suis portat ad uerticem montis qui respicit Hebron. Pertinet & hoc factum ad stupendam illam fortitudinem, qua Samson diuinitus præditus fuit. Quid ergo dicemus? num quia Samson foelicem euentum suæ scortationis habuit, sentiendum est ipsum scortando non peccasse? Absit, facta non sunt iudicanda e' præsentis euentu, sed e' uerbo Domini. Quod uerbum Dei pium pronunciat, pium est, etiamsi in præsentia habeat euentum infelicissimum. Quod uero impium & iniustum pronunciat, hoc iniquum est, etiamsi habeat in præsentia euentum fortunatissimum. Nam, q̄ Dominus nonnunq̄ iniusticiæ foelicem euentum tribuit, non hoc agit ut approbet iniusticiam, sed ut bonitate & lenitate sua, quemadmodum Paulus ait, iniustum ad poenitentiam inuitet.

POST HAEC AMAUIT MULIEREM QUAE
HABITAUIT AD FLUMEN SOREC ET VO-
CABATUR DELILA.)

Iterum proponitur nobis in Samsonne humanæ malignitatis exemplum. Postquam enim Samson prius periculum, in quod scortatione sua sese coniecerat, admirabiliter euasit, putat nunc ob foelicem euentum scortationem sibi non esse peccatum, & licere sibi impune scortari. Ideo relicto scorto Gazæ, diuertit ad scortum nomine Delilam. Atq̄ hoc est quod in Ecclesiasta capite viij. scribitur: Quia, inquit Salomon, non profertur cito contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala. At tamen peccator ex eo q̄ centies facit malum, & per patientiam sustentatur, ego cognoui q̄ erit bonum timentibus Deum, qui uerentur faciem eius. Vnde & si Samson diu in scortatione toleratur, tamen eo grauiori tandem supplicio afficitur, quo diutius peccatum impune tulit.

VENERUNTQVE AD EAM PRINCIPES PHILISTINORVM.)

Principes Philistinorum uident se aduersus Samsonem nihil armis aut uiribus suis posse. Aggrediuntur igitur ipsum astutis dolis, & quod non possunt uirtute, hoc astu efficere conantur. Arripiunt autem duas res ad expugnandos animos hominum ualidissimas, uidelicet, munera & mulierem, quibus Samsonem uincunt, & in suam potestatem redigunt. Et muneribus quidem corrumpunt mulierem Delilam, muliere aut uincunt Samsonem, persuade, inquiunt ad mulierem,

IN CAPVT XVI. IVDIC.

& uide in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum superare ualeamus, & uinctum affligere. Quod si feceris, dabimus tibi singuli mille & centum argenteos. Non sunt autem aptiora organa quæ aurum seu munera & mulier, quibus mentes hominum expugnantur. De auro seu muneribus testantur tam sacræ quæ prophane literæ. Munera inquit Mose, excæcant oculos sapientum, & mutant uerba iustorum. Et apud Ethnicum:

Munera crede mihi placant hominesque deosque.

Et Philippus rex Macedonum, cum arcem quandam ualde munitam oppugnare uellet, & exploratores retulissent, eam aditu prorsus difficilem & inexpugnabilem esse, percontatus est, num & alius auro onustus illuc accedere posset? significans nihil esse tam munitum, quod auro non expugnetur. De mulieribus autem manifesta sunt exempla in Adamo, Salomone, & hoc loco in Samsone. Quod Satan in Adamo nulla potentia, nullis uiribus impetrasset, hoc impetrauit per mulierem Euam. Quod in Salomone nullus rex Babylonius, collatis omnibus uiribus suis effecisset, hoc effecerunt in ipso mulieres Ethicæ, & abduxerunt eum a uero cultu Dei ad idolatriam. Exstat etiam declamatiuncula de mulierum fortitudine, qua cuncta superant, in tertio libro Esdræ, qui est apocryphus, capite quarto. Hæc autem recitantur, non ut admiremur aurum & mulieres, sed ut admiremur nostram ipsorum imbecillitatem, & agnoscamus eam, quo causam eius scrutemur, ac medeamur ipsi. Quid enim potest esse imbecillius humano animo, quod a rebus longe omnium uilissimis & infirmis expugnatur? Quid enim est aurum aut argentum, nisi lutum, splendidum quidem, lutum tamen terre? Et si fortitudinem respicias, ferrum longe fortius est auro. Mulierum autem imbecillitas publico etiam dicto notatur. Vos etenim iuuenes animos geritis muliebres. Et Paulus mulierem uocat uas infirmum. Cum igitur animus humanus his tam uilibus & imbecilibus rebus expugnatur, quid obsecro humano animo infirmius est? Sed unde hæc animi infirmitas originem suam ducit? certe non aliunde quam ex peccato, in quod authore primo nostro parente coniecti sumus. Quare, ut huic infirmitati medeamur, & animum nostrum obfirmemus, medendum est peccato. Huic autem non possumus mederi, nisi per Christum Iesum & per fidem quæ est in ipsum, nimirum, ut credamus, quod Christus Iesus peccata nostra expiauerit, & reconciliauerit nos cum Deo patre nostro. Sic enim dabitur nobis spiritus sanctus, quo satis firmi aduersus omnem huius mundi potentiam erimus.

LOCUTA ERGO EST DELILA.)

Vide,

Vide, quæ sit fides scortorum. Scortum fit amatoris sui proditrix. Est autem hoc scriptum in nostri doctrinam, ut hoc exemplo a scortatione deterreamur. Quid enim amas, amando scortum? amas serpente[m], dulci ueneno te inficientem, amas proditricem tuam, si non corporis & uitæ corporalis, certe salutis animæ tuæ. Domus eius, inquit Salomon, uia inferorum sunt, illac ad mortem iter est. Samson enim ingrediendo domum scorti, quo obsecro ingressus? Profecto in carceres, in excæcationem suam, & in omnia genera malorum, quæ ipsum mox consequuntur.

CVI RESPONDIT SAMSON, SI SEPTEM RECENTIBVS.)

Samson prudenter admodum aliquoties Delilam elusit, & citra grande periculum suum experimētum fidei eius sumpsit. Nam quem admodum hi qui noua uascula explorare uolunt, num qua perfluant, non uinum aut oleum, ne magno constet experientia, sed aquam infundunt: ita prudentia est, incontinentiam alterius re nec periculosa nec magni momenti experiri. Ceterum, q[uod] Dominus non confestim, perpetrata scortatione aufert a Samson prudentiam & fortitudinem, bonitas & tolerantia eius est, qua ad peccata conuiuet, ut peccatores ad pœnitentiam inuitet.

QVOMODO DICIS QVOD AMAS ME.)

Hæ sunt solennes illæ quærimoniæ, quibus mulieres uirorum animos aggrediuntur. Proponit autem eas nobis scriptura ut aliena fruamur insania, & caueamus ne eiusmodi quærimonijs expugnemur.

ET CVM MOLESTA ESSET EI ET VRGERET EVM.)

Vide uerba Delilæ acutiora esse erga Samsonem gladio ancipiti. Cum angeret, inquit scriptura, animam eius ad mortem usq[ue]. Vnde igitur uerba Delilæ tam acuta reddebantur? certe non natura sua tam acuta erant, sed peccatum Samsonis reddiderat ipsa acuta. Si Samson a peccato scortationis resipuisset, uerba mulieris fuissent obtusissima.

TUNC INDICAVIT EI COR SVVM.)

Effudit Samson mulieri, quicquid habet secreti. Quid ergo, inquit, num fortitudo Samsonis latuit in crinibus eius, eo q[uod] fuerit Nazaræus? At fuerunt & multi alij Nazaræi, qui tamen non fuerunt tanta fortitudine præditi quanta Samson? Respondeo, Immanis illa fortitudo qua Samson præditus erat, donum Dei fuit Samsoni collatum, non propter sanctitatem obseruantia[e] Nazaræorum, sed propter gratuitam Dei misericordiam. Et conferebatur Samsoni tantisper, dum in uocatione sua ad quam ab utero matris uocatus erat ambulabat. Vocatio autem eius erat, ut uiueret iuxta leges Nazaræorum, hoc est, ut nouacula non tangeret caput eius, & ut liberaret Isra-

elitas a Philistinis. Cum igitur beneficio Dei accepisset admirandam uirium fortitudinem, & abuteretur ea, non ut iuxta uocationem suam liberaret Israelitas, sed ut cū meretricibus Philistinorum scortaretur, ac se fortitudine sua tutum in scortatione sua seruaret, & effunderet mulieri, quod tacitum esse oportebat, futilitateq; sua efficeret, ut cōtra q̄ lex Nazareorum habet, raderetur, iusto Dei iudicio factum est, ut amitteret fortitudinem suam, non quidem propter rasos per se crines, sed propter inobedientiam, scortationem, futilitatem, & abusum doni a Deo collati. Ceterum amissa fortitudine, statim capiunt eum Philistini, eruant oculos eius, & duxerunt Gazam uinctum genis compedibus, & clausum in carcere molere fecerunt. In illis enim gentibus erant molæ in carceribus, quas captiui circumagere cogebantur, ut & captiuitate & labore affligerentur, & ut panem gratis non absumerent. Memorabile & horrendum supplicium in Samsonē, q̄ ab utero matris sanctificatus, stupenda fortitudine præditus, admirandis strategematibus clarissimus, & populi Dei princeps tam foeda pœna & ignominia afficitur, ut a scorto prodatur, & hostium suorum captiuus fiat, qui oculos eius eruant, & concludunt eum in carcerem, ut necesse habeat, ueluti abiectissimus seruus molere. Sed hoc exemplo declaratur ira Dei, primum aduersus scortationem, ut scortatores hoc Samsonis supplicio admoniti, ab iniquitate sua resipiscant. Hi enim, & si non mox perpetrata scortatione afficiuntur externa pœna, tamen hoc exemplum certum sigillum est, æternam maledictionem, nisi resipuerint, eos manere. Dicit enim Paulus: Neq; scortatores, neq; adulteri regni Dei hæreditatem accipient. Deinde declaratur & ira Dei aduersus fulem loquacitatem. Postremo aduersus impium abusum donorum Dei. Samsoni collatum erat donum fortitudinis ad liberandum Israelitas. Sed is neglecta uocatione sua, abutebatur dono suo ad scortandum. Iusto igitur iudicio Dei amittit donum suum & affligitur. Sic magistratus habet donum maiestatis & potentiae ad defendendos subditos suos a uolentia hostium, & hominum facinorosorum. Si ergo abutitur hoc dono ad opprimendos ciues & subditos suos, in propinquo est, ut amittat illud. Diues & sapiens habent dona, ut egenos & stultos adiuuent. Si igitur donis suis ad uoluptates aut oppressiones pauperum abutuntur, nihil aliud reliquum est, nisi ut ijs turpiter destituantur.

ET PRINCIPES PHILISTINORVM CONVENERVNT.)

Descripta sunt peccata & supplicia Samsonis. Describuntur nunc peccata & supplicia Philistinorum. Ac primum quidem postq̄ Philistini clauerunt Samsonem in carcerem, peccant impietate, immolant enim

enim Deo suo Dagon (de quo multa in priori libro Samuelis, capite quinto) hostias magnificas, & adscribunt ei uictoriam super Samsonem, adeoque principes & uulgus (hoc enim solet sese ad mores & religionem principum suorum comparare) exclamant: Tradidit Deus noster aduersarium nostrum in manus nostras. Colere autem facticium deum & foelicem rerum euentum ipsi acceptum ferre, est uerum Dominum Deum nostrum contemnere, abijcere & blasphemia afficere. Qua impietate, quid potest maius excogitari? Sicut enim Dominus Deus noster solus est creator omnium rerum, ita solus ipse colendus est, & huic soli acceptum ferendum est, quicquid prospere fortunæ alicui arriserit. Sed habes in Philistinis hoc loco perspicuum exemplum humanæ impietatis. Hæc enim fere est hominum qui carent uerbo Dei impietas, quæ ex foelici rerum euentu, qui ipsis contingit, non resipiscant ex impietate, nec uerum Deum agnoscere discant, sed potius impietatem suam iustificent, & eam maiori studio sectentur, Nam quod uerus Dominus Deus noster Philistinis uictoriam dederit super Samsonem, non ideo factum est, quia deus eorum Dagon uerus deus, & religio ipsorum uera religio sit, sed quia Samson peccauerat, ideo traditus est Philistinis ut affligeretur propter peccata. Ad hæc traditus est Philistinis, ut in ipso agnoscerent seueritatem iræ Dei. Si enim Deus non parcit sanctificato ab utero matris suæ, & principi electi populi sui, sed tradit eum alienigenis affligendum, quid non suppliciorum inferet hominibus impijs, ab utero matris impuris, & idola colentibus? At tantum abest, ut Philistini hæc agnoscant, ut potius sibi omnia prospera propter captum Samsonem polliceantur. Sic Turcæ multas reportant uictorias a Christianis, non quia Mahumeth, quem obseruant, sit uerus propheta, & Christus Dominus noster, non sit uerus Deus. Absit, sed quia Christiani peccauerunt, & in supplicio Christianorum admonet Dñs Deus noster Turcæ ut resipiscat & cogitet, si Deus nõ parcit electo populo suo, quomodo parsurus est impiæ genti Turcæ? Sed uide humanam impietatem, Ex foelicitate enim sua non resipiscit Turca, sed potius arguit suam impietatem & crudelitatem, esse summam impietatem & iusticiam. Deinde peccant Philistini securitate. Nam cum comprehendissent Samsonem, ita secure epulantur, & conuiuantur, ut existiment nullius hominis potentiam tantam esse, quæ possit ipsis mali quidpiam inferre. Atque hic morbus hominibus peculiaris est, quæ fiant e prospero rerum euentu securi, sed hæc securitas futuri habet supplicium, quemadmodum mox sequitur. Postremo peccant etiam Philistini contemptu miseri & calamitosi hominis. Cum enim lætaretur cor eorum, non sunt contenti, quod eruerint oculos Samsonis,

& inluserint eum in carceres admolendum, sed, ut addant afflictionem afflictioni, & insultent ei palam, producunt ipsum e carceribus, ut ante eos ludat. Est autem atrox & immane crimen, calamitoso addere calamitatem, & meretur crudele supplicium. In memoria, inquit Psalmus, redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini, & peccatum matris eius non deleatur. Quare? quia non est recordatus facere misericordiam, & persecutus est hominem inopem & mendicum, & compunctum corde mortificare. Sed quid? num Philistini impune ferunt, tam atrociam crimina? Nequaquam. Deus non pepercerat dilecto suo Samsoni, & parceret impijs illis nebulonibus? Videamus igitur quo supplicio afficiantur. Iam, inquit scriptura, capilli Samsonis renasci ceperat. Ergo ne una cum capillis creuit fortitudo eius? Diximus antea, capillos non fuisse causam fortitudinis, sed fortitudinem esse gratuitum donum Dei. Amisit igitur Samson hoc donum, non quia amisit capillos, sed quia propter peccatum amisit gratiam Dei. Cum autem effossis oculis in carcerem coniectus esset, non satisfecit quidem poena sua pro peccatis suis. (peccata enim uehementius irritant Deum, quam ut possint expiari humanis uel operibus, uel passioibus.) sed tamen per poenam admonitus est peccatorum, & ductus est in agnitionem eorum. Agnitioni peccatorum primus gradus est ad resipiscenciam. Agnitioni peccatorum addit Samson fidem, & credit, quod habeat remissionem peccatorum propter semen Abrahamae. Nisi enim fidem concepisset in afflictione sua, non potuisset tam efficacem orationem coram Deo effundere, qualem mox audiemus. Resipuit igitur Samson a peccatis suis in carcere, & reconciliatus est cum DOMINO Deo suo. Reconciliatus autem cum Deo, crescente caesarie, recepit & donum fortitudinis suae. Quare, cum ductus esset in theatrum Philistinorum, & ad columnas, quibus imminabat domus, positus esset, inuocauit Deum dicens: DOMINE Deus, memento mei, & conforta me modo Deus &c. Hec oratio nihil minus uidetur, quam ex fide profecta. Dicit enim Deus. Mea est ultio & ego rependam. Quomodo igitur posset Samson ex fide dicere. Vlciscar me de hostibus meis, & pro duobus oculis unam ultionem recipiam? Hoc perinde uidetur, ac si fur diceret. Domine, da mihi ut prospere furer. Aut latro, Domine, fortunatum redde latrocinium meum. Sed obseruandum est, quod cum DOMINVS ait: Mea est ultio, significat quidem in sua solius potestate positam esse ultionem, & nulli hominum licere eam priuata temeritate usurpare, non autem negat, eam non posse homini ad hoc diuinitus uocato & ordinato competere. Nonne & alias DOMINVS ait, Prouerb. cap. viij. Meum est consilium, & aequitas, mea est prudentia, mea est fortitudo: quibus uerbis hoc quidem significatur, quod

quod solus Deus author sit consilij, prudentiæ & fortitudinis, non autem negatur, quod hæc dona non conferantur à Deo hominibus, ut ipsis iuxta diuinam uocationem utantur. Iam, quemadmodum fortitudo corporalis dono Dei collata erat Samsoni, ita etiam dono Dei uocatus est ad ulciscendos Israelitas & se, ut principem Israelitarum, de Philistinis. Ipse enim, inquit angelus, incipiet liberare Israel de manu Philistinorum. Proinde quod orauit, ut reciperet suam fortitudinem, & ulciscatur se de hostibus suis, profecto ex fide orauit & spiritu sancto. Ac propemodum talis fuit oratio in uocatione sua qualis fuit oratio discipulorum Christi, quæ scripta est in Actis apostolicis capite iij. Domine, inquit, aspice in minas eorum, & da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuum manum tuam porrigendo in hoc ut sanatio & signa & prodigia ædantur per nomen sancti filij tui Iesu. Vt enim discipuli uocati fuerunt ad prædicandum Euangelion de Iesu Christo, & ad redarguendam impietatem Pharisæicam ac pontificiam: unde & precatur, ut Dominus uocationi eorum aspiret, & fortunet eam: ita & Samson uocatus erat ad pugnandum cum Philistinis, & ad inferenda ipsis, quæcunque posset mala. Recte igitur precatur, ut Dominus largiatur ipsi uires ad exequendam hanc uocationem & ad ultionem capiendam de hostibus suis. Sed quid illud est, quod apprehensis columnis addit: Moriatur anima mea cum Philistinis, nunquid peccat, sibi ipsi mortem inferendo? Iterum obseruandum est, aliud esse, uocationi Dei obsequi, aliud seipsum, sua temeritate, periculo mortis obicere. Qui enim sine uocatione Dei periculo mortis sese exponunt, hi certe tentant Deum & peccant. Samson autem hoc loco seruit uocationi Dei. Quare, cum exponat se periculo mortis cum Philistinis, non peccat, sed obsequitur Deo. Ac idem facit, quod hi, qui ex fide proficiscuntur in militiam contra Turcas. Quid enim hi aliud faciunt, quam quod suam uitam morti uenalem ferant, & si pii sunt, sic secum cogitare serio solent. Libentissimo animo moriar cum Turcis, tantummodo ut Imperator noster uictoria potiatur, & tranquillitas Reipublicæ Christianæ conseruetur. Eadem plane est sententia uerborum Samsonis. Magna animi libentia una cum Philistinis uitam amittam, tantummodo ut ipsi intereant, & ego ab his probris, Israelitæ autem mei à tyrannide eorum liberemur. Hæc certe non est oratio impia, sed tum ex ingenti fide, tum ex animo patriæ amantissimo profecta.

CONCVSSISQVE FORTITER COLUMNIS
CEDIT DOMVS.)

Hæc est ultio, quam Samson de Philistinis recipit. Hoc est supplicium, quo afficiuntur Philistini propter impietatem, securitatem, &

K

IN CAPVT XVI. IVDIC.

crudelitatem ipsorum. Erant enim in ea domo omnes principes Philistinorum, & in tecto circiter tria milia uirorum & mulierum spectantium ludentem Samson. Cecidit igitur domus super omnes principes & ceteram multitudinem, quæ ibi erat. Multoq; plures interfecit Samson moriens, q̄ ante uiuus occiderat. Vides autem hic in Philistinis, quæ exitum habeat malus dolus. Dolo enim comprehenderunt Samsonem, non uirtute: & putabant se tunc fortunatos, cum dolus promouisset. Sed nunc uides quem exitum habeat impius dolus. Deinde uides etiam quo euadat impia idololatria. Adhæc, quanta confusione pudefiat securitas. Postremo, crudelitas & immisericordia in miseris. Hæc omnia habent in Philistinis foedissimum exitum. Ac moriuntur quidem simul Philistini & Samson, sed exitus mortis longe omnium diuersissimus est. Philistini moriuntur in impietate. Vnde & sempiterna internitione pereunt. Samson autem quia resipuerat in carcere, moritur in fide & uocatione Dei. Vnde per mortem ingreditur in sempiternam foelicitatem. Et haud immerito in epistola ad Hebræos in catalogo sanctorum commemoratur.

CAPVT XVII.

FUITQUE EO TEMPORE VIR QUIDAM.)

In his sequentibus capitibus usq; ad finem libri Iudicum, scriptura uarijs exemplis indicat, quam cõfuse, incompõsite, inordinate, inciuiliter, & impie omnia tam in ciuili politia, quam in religione, in eo populo, qui caret legitimo magistratu, gerantur. Et quanq; impius tyrãnus ciuibus suis grauis est, ac propemodum intolerabilis, tamen historiæ quæ nunc sequuntur, significant tyrannum magistratu fungentem, multo tolerabiliorem Reipub. esse, quam si populus absq; magistratu uiuat. Primum autem inordinationis & impietatis exemplum, quod hic scribitur, est Micha quidam Ephraita, qui instituit cultum diuinum contra legem Dei, & sanctificauit filium suum in sacrificium contra ordinationem diuinæ legis. Ceterum Iosephus uidetur sentire hanc historiã factam esse, non post mortem Samsonis, sed post mortem Iosua, cum in Israel nõdum uel iudex uel rex electus esset. Ut cunq; aut hoc sese habeat, certum est, eo tempore, quo hæc gesta sunt, nullum summum & publicum magistratum Reipub. Israeliticæ preuississe. Sic enim hic scribitur: In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisq; quod sibi rectum uidebatur hoc faciebat. Historia igitur de Micha sic sese habet: Micha dixit matri suæ: Mille & centum argenteos quos separaueras &c. Hoc iuxta Hebræam ueritatem sic legendum est:

est: Mille & centum argenteos qui sublatis sunt tibi, & execratus es (furem) quemadmodum me audiente narraſti, ecce hi mecum ſunt, ego ſuſtuli eos. Ex his & ſequentibus uerbis facile conijci poteſt, hanc rem ita contigiſſe, q̄ Micha clam ſuſtulerit matri ſuæ mille & centum argenteos, quos illa ad inſtituendum cultum diuinum recondiderat. Cū uero mulier de furto conquereretur coram filio, & furem execraretur, ac indicaret ſe eam pecuniam ad cultum diuinum uouiſſe, Michea religione deuotionis commotus, reddidit matri ſublatis nummos, & admonuit eam, ut uotum ſuum impleat. Hos igitur mater recipiens, collaudato filio ob pietatem, curauit, ut ſculptile & conflatile ex illis fieret. Quod cum accepiffet Micha inſtituit in domo ſua phanum, & ponens in illud imaginem conflatilem, parauit ueſtimenta ſacerdotalia, & impleuit, (hoc eſt, ſanctificauit & conſecrauit, quemadmodum habes in Exodo cap. xxix. de conſecratione ſacerdotum) unius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos. Atq̄ ita omnia, quæ ad peragenda ſacra pertinere uidebant a Micha & matre eius inſtituta ſunt. Primū igitur uide mihi cauteriatam conſcientiā Michæ. Ob furtū em̄ quibus lege diuina prohibitum, nulla conſcientia mali afficitur. Sed tū demum ſe Satanae mancipiū fore exiſtimat, ſi furto ſuo impedimento ſit, ne cultus diuinus corā Deo tñ impius inſtituat. Idē pene exemplū habes apud Matth. ca. xv. de liberis tranſgredientibus præceptū Dei, propter traditionem ſeniorum. Ex hac enim traditione liberi non reputabant pro peccato, ſi operibus ſuis parentum neceſſitati iuxta legem non ſubuenirent. Sed tum demum ſe peccare putabāt, cum opibus ſuis cultum Dei hypocriticum non conſeruaſſent. Deinde cū mater dicit: Conſecraui hoc argentū Dño, exemplum obſeruandum eſt quo cōprobat, q̄ Iſraelite non hac opinione idola & factitia ſacra inſtituerint, ut alienis dijs, ſed ut uero Deo ſeruirent: Dño, inquit, conſecraui hoc argentum, non dijs Gentium. Quid ergo, num idola & ſacra factitia ab idololatria & impietate excuſant, q̄ non uideantur impia opinione fieri? Nequaquã. Etenim quæadmodum Scyta non excuſant a parricidio, q̄ pro more ſuæ regionis, & amico aīo, parentes ſuos ſenio conſectos occidunt, maſtant, & deuorant, ita nec excuſantur ab impietate & idololatria, qui quantumuis bona, ut ſibi uident opinione, ſacra contra primum præceptum Dei obſeruant. Primum enim præceptum Dei eſt: Non habebis alienos deos coram me. Alieni autem dij ſunt ſacra que non ſunt uerbo Domini inſtituta. Quare omnia ſacra a uerbo Dei aliena, impia ſunt, quantumcunq̄ bona opinione fiant. Quod ſi præterea & hæc opinio accedit, ut ea ſacra obſeruetur tanq̄ merita, quibus Deus placatur, & quibus peccata expiantur, ibi tum bis impia fiunt. Hæc enim opinio, q̄ opera noſtra ſatisfaciāt pro peccatis, et placent

Deum, tam impia est, ut etiam ea opera & sacra quæ à Deo præcepta sunt, impia reddat, si hac opinione fiant, quanto magis reddit etiam ea sacra impia, quæ uerbo Dei non sunt instituta. Ex his nunc uidere licet, Micham & matrem eius tunc longe oim impiissime facere, cum existimant se summam pietatem exercere. Faciunt sculptile & conflatile in cultum diuinum: Sed lex Dñi prohibebat sculptilia et cōflabilia: faciunt Ephod, hoc est, superhumeralis, genus est uestimenti sacerdotalis, quemadmodum in Exodo cap. xxviiij. scribitur, Faciunt & Theraphim, quod nostri interpretantur idola, & uidentur fuisse instrumenta ad cultum diuinum, de quibus etiã est apud Oseam cap. iij. Alij dicunt Theraphim fuisse, idola seu instrumenta, quæ ad cognoscenda ex ipsis futura instituebantur. Usurpare autem uestes sacerdotales & instrumenta diuini cultus extra locum a Deo electum, impietas est. Postremo Micha consecrat unum ex filijs suis in sacerdotem, qui tamen non erat de genere Aheron. Hoc autem lex Domini aperte prohibet, & horrendo interitu Korah declaratum est, impium esse aliunde q̄ ex familia Aheron sacerdotem eligere. Etsi uero mater & filius eius Micha tantas impietates designant, tamen existimant sese facere cultum Deo gratissimum. Quamobrem id fit: quia in diebus illis nō erat rex in Israel, qui auctoritatem legis diuinæ defenderet, sed unusquisq̄ quod sibi, non quod uerbo Domini rectum uidebatur, faciebat.

FVIT QVOQVE IN TEMPORE ILLO ADOLESCENS.)

Tametsi scriptura causam fugæ adolescentis huius Leuitæ non cōmemoret, tamen quantum ex incomposito eius temporis statu conijcere licet, propter eam causam a Bethlehem alio peregrinatur, q̄ uulgus Israeliticus Leuitis decimas iuxta præscriptum legis non daret, nec uictum eis impenderet. Vbi enim non est legitima ordinatio magistratus, qui leges administret, ibi non est q̄ speres quicquam civilis iusticiæ a uulgo, etiamsi interim proposueris leges sanctissimas. Et in qua uis Rep. bene constituta multo consultius est paucissimas esse leges, seuerissimos autem legum administratores, q̄ plurimas leges, nullū autem legum administratorem. Nō erat autem hoc tempore rex, hoc est, summus quispiam magistratus in Israel, sed unusquisq̄ faciebat quod sibi rectum uidebatur. Ecquid uulgo aliud rectum uidetur q̄ sua compendia sectari, nihil quod debetur exoluere? Quare apparet hunc Leuitam necessitate famis adactum, ut alias sedes quæreret. Ceterum, manifestum contemptus Dei signum est, si Ecclesiasticis ministris honestus uictus non exhibeatur. Contemptum autem Dei sequitur impia idololatria. Idololatriam sequuntur supplicia & captiuitates. Hinc est q̄ Israelitæ post mortē Iosua, postquã diximus hanc historiam

riam

riam contigisse, subinde alijs atq; alijs captiuitatibus obiecti fuerint, quemadmodum in hoc ludicum libro commemoratum est. Porro, qd hoc loco Leuitis, postq; Israelitæ ex deserto in terram Canaan uenissent, accidit, idem postea accidit eis postq; e captiuitate Babylonica ad Hierusalem redissent. Sic enim Nehemie cap. iij. scribitur: Cogno ui, qd partes Leuitarum non fuissent eis date, & fugisset unusquisque in suam regionem de Leuitis & cantoribus.

ET ILLE CEPIT MANERE APVD HOMINEM.)

Leuita diuertit ad Micham, qui paulo ante nouum cultum Dei, sed contra legem Domini instituerat, & constituto uictu & amictu, fit sacrificulus Michæ. Hic adolescens, eoræ imaginem refert, qui in cultu Dei non diuine gloriæ, sed suo uentri seruiunt, existimantes questum esse pietatem, docentes que non oportet turpis lucri gratia, quæ admodum Paulus ait. Vide enim quanta flagitia hic adolescens cõtra legem Domini designet. Primum, patitur se ungi & consecrari in sacerdotem, cum non sit de genere Aheron, sed tantum Leuitaræ. Deinde sacrificat in eo loco in q a lege Dñi prohibitum erat, ut habes Deut. xij. Postremo conuiuet, immo approbat conflatile illud & sculptile quod Micha in domo sua instituerat. Hæc certe sunt manifesta impietatis opera. Et hæc agit adolescens, compendij & lucri sui gratia. Huius impietatem imitantur hoc tempore qui ob Euangelion in exilium reiecti, & ad famem adacti, denuo ad uomitum Papisticum redeunt, ut in ea impietate fami suæ medeantur. Sed quis tandem finis eorum? pauco tempore uentri suo consulere uidentur, sed interim obijciunt tantum corpus q; animam suam in hoc quidem sæculo afflictionibus & angustijs conscientie, in futuro autem perpetuæ internitioni.

NUNC SCIO QVOD BENEFACIAT MIHI DEVS.)

Ex his uerbis apparet Micham hætenus propter impium suum cultum multis aduersis maledictionibus afflictum fuisse (quid enim posset felicitatis in impietate esse?) Nunc autem quia nactus est sacerdotem Leuitici generis, sperat se felicem fore. Primum ergo obserua ingenium impietatis, qd confidat operibus & cultibus suis diuinis, ac polliceatur sibi propter iusticiam operum suorum omnem felicitatem. Sed hoc plane est a uero Deo deficere, & opera manuum suarum adorare. Nulla enim felicitas nobis contingit, nisi propter solum Iesum Christum per fidem. Deinde significatur & hoc in Micha, qd tanta sit inscitia humani ingenij, ut existimet opus aliquod esse totum perfectum ac sanctum, quod aliqua sui parte sanctum apparet. Sicut enim Micha existimat cultum suum diuinum nunc totum sanctum esse, qd habeat sacerdotem Leuitici generis, e quo genere familia Aheron ad fungendum sacerdotio sanctificata erat, interim tamen non uidet

alias impietates, uidelicet, q̄ is adolescens nō erat de familia Aheron, q̄ nō licebat in quouis loco sacrificare, q̄ non erat fas habere ad cultum Dei conflatile, ita fere de omnibus bonis operibus iudicat humana ratio. Videns enim externam operis speciem bonam esse, putat opus ita perfectum & sanctum esse, ut possit constare in iudicio diuino, & satisfacere pro peccatis, ac mereri uitam æternam. Sed hæc fiducia exemplo etiam huius Michæ uanissima apparet. In sequenti enim cap. describitur, q̄ & sacerdos & idola a Danitis auferant ei. His autē ablati, ubi manet fiducia eius, & q̄d reliquū ei est p̄ter desperatiōem?

CAPVT XVIII.

IN DIEBUS ILLIS NON ERAT REX IN ISRAEL.)

Iterum repetitur, nullum fuisse hoc tempore summum magistratū in Israel, ut hinc intelligas, maximam tunc fuisse confusionem inter Israelitas, tam in rebus ciuilibus q̄ in rebus ecclesiasticis. Cuius rei uel una tm̄ tribus, noīe Dan, exemplo est. In hac enim & politia ab hostibus turbabatur, & idololatria ab ipsis met Danitis instituebatur, propterea q̄ non erat magistratus qui ipsos ab hostibus defenderet, & religionem iuxta legem Mosi administraret. Primum enim, tribus Dan coacta est ab Amorreis in montana, quemadmodum supra cap. i. scriptum est. Affixit (inquit scriptura) Amorreus filios Dan in mōte, nec dedit eis locum, ut ad planiora descenderent. Vnde cum montana loca non oēs Danitas caperent, necesse habuerunt nouas sedes quærere. Habuerunt quidem filij Dan suam sortem in Israel, quemadmodum in Iosua cap. xix. scribitur. Sed præ potentia hostium non licuit eis totam occupare. Quid ergo? num potentia hostium maior est promissione & ordinatione diuina? Erat enim Danitis, ut alijs tribubus Israel, sua pars in terra Canaan, a Deo promissa, & diuina sorte tributa. Cur igitur quod Deus dedit hostes auferunt? Nōne uulgo dicitur: Quod Christus dat, non potest S. Petrus auferre. Quo significatur, nullam creaturam tam potentem esse que possit a nobis id tollere quod fauore & potentia Dei nobis datur? Respondeo: Verissimum quidem est, Deum esse oīpotentem, nec ullam creaturam posse potentiā eius superare. Sed beneficia que largitur Deus hoībus, ea largitur mera & gratuita misericordia & clementia. Quis prior dedit illi, inqt Paulus, & red detur ei? Et quid habes quod non accepisti? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Quod autē Deus gratuita clementia largitur, hoc ea conditione largitur, ut aut non uelit istud, quicquid

quid est beneficij auferre, dum clementiam seruauerit, aut si auferat adhuc seruās clementiam, uelit centuplum iuxta promissionem suā restituere. Quod si uero quis impietate sua fecerit sese Dei clementia indignū, & prouocauerit ipsum ad iracundiam, tunc ira aufert Deus beneficia sua ab impio, ut non uelit amplius benefacere, nisi resipiscen-
ti. Quare, si cui auferuntur beneficia diuina, non est imputandum po-
tentie hostium, aut alteri infortunio, tanq̃ authori, sed respiciendum
est in manum Domini. Si enim is adhuc clemens est, certe quod aufer-
tur, centuplum restituetur. Atq̃ ita beneficia Dei non auferuntur, sed
potius ablatione augentur. Si autem impietate irritatus est, tunc ag-
noscenda est impietas, & resipiscendum. Resipiscencia autem ita cle-
mens & propitius redditur Deus, ut nihil non beneficiorum in resi-
piscentem effundere uelit. Vnde si hoc loco Danite impietatibus suis
Deum ad iracundiam prouocauerunt, manet quidem Deus uerax &
potens, qui cum ipsis partē terræ Canaan promiserit, prestetit quoq̃
eam, Danite autem iusto supplicio sortem suam amittunt, & ab hosti-
bus pelluntur, q̃ in ueritate promissionum Dei non constiterint. Si
autem nullo impietatis eorum merito hostes præualent et eiciunt eos
ē possessione sua, quam diuino iure habent, profecto tm̃ abest, ut be-
nificijs diuinis priuentur, ut potius ea auctiora accipiant. Pro pauca
enim portione terræ ab hostibus ablata, occupant mox totam regionē
circa urbem Laïs, quemadmodum mox in hoc capite sequitur.

MISERVNT ERGO FILII DAN STIRPIS ET
FAMILIÆ SVÆ.)

Hic de exploratione quæri solet, num exploratio sit peccatum ad-
uersus hanc legem, non occidas, quandoquidem per explorationem
sæpenumero tota urbs & regio cædibus & deuastationi obijcitur. Ob-
seruandum igitur est q̃ exploratio non secundum se, sed secundum ip-
sum bellum, quod geritur, aut causam explorandi considerandum est:
si bellum est iustum & legitimum, tunc & exploratio iusta ac legiti-
ma est. Sic, quod ad explorationem attinet, non peccant exploratores,
quos Mose ē deserto in terram Canaan mittit. Sic non peccant explo-
ratores, quos Iosua ad Iericho mittit. Si autem bellum iniustum & im-
pium fuerit, impia quoq̃ erit exploratio.

ET DIXERVNT EI, INTERROGA DEVM.)

In libro Numerorum capite xxvij. ita scribitur: Eleazar, (qui erat
summus sacerdos) consulat pro Iosua secundum ritum Lucis coram
D O M I N O. Inter uestes enim sacerdotales numeratur etiam
Hosen iudicij. In quo erant Lux & Integritas, unde D O M I-
NVS oracula sua dabat, quemadmodum alias pluribus ostendimus.
Cum igitur Micha instituerit in domo sua cultum diuinum, & conse-

crauerit adolescentem Leuitam in sacerdotem, fecit quoque ei, ut ante dictum est, uestes sacerdotales, non Ephod solum, sed etiam Hosien, ut haberet, unde responsa Dei acciperet. Quare exploratores Danitę nacti sacrificulum, iubent ipsum consulere Dominum, secundum ritum sacerdotalem, num prosperum iter habituri sint. Et sacrificulus affirmat, iter prosperum fore. Et quod affirmauit, id etiam re ipsa euenit. Quid ergo dicemus? Num quia oraculum huius sacrificuli uerum fuit, ideo sentiendum est Danitas ex pietate Dominum consuluisse, & hunc diuinum cultum Michę, Deo placere, & sacrificulum, legitimū sacerdotem esse? Nequaquam ita sentiendum est. Danitę enim non consuluerunt DOMINVM ex pietate, quippe quod tam locus quam cultus & sacrificulus illegitima erant ad consulendum DOMINVM. Nec hic cultus Deo placuit, nec fuit adolescens iste legitimus sacerdos, ut antea demonstratum est. Qui ergo factum est, quod oraculum sacerdotis in hoc loco uerum est? Hoc oraculum recensendum est inter ea miracula, de quibus in Deut. capite decimo tertio scribitur. Si surrexerit inquit, in medio tui propheta, aut qui somnium uidisse se dicat. Et mox: Non audies uerba prophetę illius, quia tentat uos Dominus deus uester &c. Habemus & nos Hosien iudicij, in quo est Lux & Integritas. Hoc autem est Iesus Christus DOMINVS noster, cuius Euangelion nostra lux & integritas est. Iam, etiamsi angelus de cęlo nobis aliud Euangelion adnunciaret, & doceret non Christum esse expiationem pro peccatis, sed Missam, et alios quosdam cultus diuinos, & hanc doctrinam miraculis confirmaret, tamen non esset ei fides adhibenda, sed pro anathemate iudicandus.

PROFECTI IGITVR SVNT DE COGNATIONE DAN ID EST DE ZAREA ET ESTHAOL.)

Hic mihi uide quod ingens beneficium Dei sit legitimus magistratus. Quia enim non erat rex in Israel, qui publicum ius administraret ac uiolentiam cohiberet, ideo Danitę proficiscentes præter domum Michę ad urbem Lais inuadendam, spoliant Micham ornamentis templi sui, & abducunt secum sacrificulum eius. Quo exemplo manifestum est, ibi non esse nisi latrocina, & uiolentas prædas, quas non tam hostes, quam amici & uicini agunt, ubi non est legitimus magistratus. Quare si nobis publica tranquillitas, & nostra ipsorum securitas cordi est, pro incolumitate legitimi magistratus ad DOMINVM orare debemus. Sed inquires, Micham idololatrię operam dedit. Quare non iniquum, quod templum eius diripiatur. Respondeo: Scimus quidem cultum Michę fuisse idololatriam, ac iusto Dei supplicio factum est, quod Michas in cultu suo factitio confusus sit, ac ornamentis templi sui spoliatus. Est enim confusio, legitimum impietatis supplicium, et opes
quæ

quæ ad impietatem & Satanam conferuntur, iusto iudicio à Satana diripiuntur. Vix enim dignæ sunt, ut in commodum quendam usum transferantur. Attamen Danitæ nullo iure templum Michæ ornamentis suis spoliant. Primum, quia non erant magistratus Michæ. Quare non licebat eis uiolenter in templum Michæ quamuis idololatræ grassari. Deinde, quia non spoliant hoc templum ad abrogandam idololatriam, sed ad restituendam eam in suis familijs. Quare cum Micha instituendo cultum suum simpliciter tantum peccauerit, peccant illi dupliciter, & quod idololatriam instituant, & quod eam ex alienis opibus & uiolentis prædis instituant. Hoc exemplum obseruandum est, unde discamus, aliud esse iuste affligi, aliud iuste affligere. Multi iuste affliguntur, quos tamen aduersarij iniuste affligunt.

ET PLACVIT SACERDOTI ET TVLIT.)

Sacrificulus persuasus promissis Danitaræ, consentit ad prædam, & una cum ipsis aufugit. In hoc sacrificulo pulchre admodum delineatur ingenium impiorum sacrificuloræ. Cum enim hi seruiant uentri suo, qui est Deus ipsorum, nullam habent rationem ministerij sui, sed tamen reddituum, & eo se conferunt derelicta uocatione sua, ubi pinguioribus, ut uocant, beneficijs saginantur.

QUI RESPONDIT, DEOS MEOS QVOS MIHI FECI, TVLISTIS.)

Micha ablatis idolis, & abducto sacrificulo, de scelicitate & salute sua desperat. Sic enim ingenue fatetur, dicens: Quid mihi reliquum est: sed hoc est legitimum supplicium confidentiæ in cultus Dei factitios, aut in res carnales. Cum enim factitij cultus ab hominibus excogitati & instituti sint, necesse est eos perire. Pereuntibus autem ipsis, necesse est tam spem in ipsos collocatam, quam homines in ipsos confidentes perire. Vnde Psalmus ait: Simulacra gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: Os habent & non loquentur, oculos habent & non uidebunt. Similes illis fiunt, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Hoc autem non tantum de idolis gentium, sed etiam de omnibus cultibus diuinis, qui ab hominibus ad consequendam iustificationem instituuntur, intelligendum est.

VENERVNTQVE IN LAIS AD POPVLVM QUIETVM ET SECVRVVM.)

Expugnationis urbis Lais meminit etiam Iosua capite decimo nono. Et quæ hoc loco uocatur Lais, ea in Iosua uocatur Lesem. In expugnatione igitur huius urbis habes iudicium carnalis securitatis. Ciues enim urbis Lais habitabant secure, uiuebant in summa omnium rerum abundantia, & dicebant, pax & securitas, sed ecce

IN CAPVT XIX. IVDIC.

dum nihil tale metuunt, opprimuntur a Danitis, & urbs eorum exuritur. Hic est euentus securitatis carnalis. Sic perierunt homines diluio tempore Noha. Sic perierunt Zodoma & Gomorrha. Sic Paulus ait: Dies ille DOMINI, ut fur in nocte, ita uenturus est. Cum enim dixerint pax & tuta omnia, tunc repentinus eius imminet interitus.

QVAM RVRSVM EXTRVENTES, HABITABANT.)

Danite reportant uictoriam e ciuibus Laïs, urbem eorum igni deuastant, nouam urbem condunt, quam uocant nomine patriarchæ sui Dan, & omnino foelicem habent rerum suarum euentum. Quãobrem: num quia meliores & sanctiores erant ciuibus Laïs: nequaquam, quã quã admodum ciues Laïs erant gentes impie, ita Danitæ erant ludæi impij. Nam spoliauerunt Micham ornamentis templi sui contra publicum ius, & instituerunt in tribu sua contra legem Dñi, sculptile quod rapuerant, ac consecrarunt in sacrificulos non filios Aheron, sed filios Gerson e tribu Manasse. Quare, quod ad pietatem attinebat, Danitæ nil meliores erant ciuibus Laïs. Habent tamen foelicem rerum euentum & superant ciues Laïs, ob alias causas, primum, quia Gentes Cananæ erant a DOMINO in internitionem tradite, & iudicium eorum iam appropinquauerat. Deinde, quia carnalis securitas solet repentinò interitu a DOMINO puniri. Quo exemplo admonemur, ut rerum foelicitatem non nostræ iusticiæ, sed diuinæ clementiæ nos ad poenitentiam inuitantis adscribamus. Si enim Deus nõ parcit gentibus peccantibus, quanto minus nobis parsurus est, nisi resipiscamus.

CAPVT XIX.

FUIT VIR QUIDAM LEVITES.)

Aliud exemplum, quo primum comprobatur, quanta flagitia designentur, & impunita relinquuntur, si legitimus magistratus defuerit. Deinde, quanta mala ex impunitis flagitijs oriantur. Describitur enim in hoc capite adulterium uxoris Leuitæ, & uolentia, quæ a ciuibus Gibeæ huic mulieri illata est, quæ atrociam flagitia cum impunita relinquerentur, factum est, ut propemodum centum milia uiuorum in bello propter eam causam exorto, trucidarentur. Obseruandum igitur est, quod ubi uetus lectio hoc loco habet, Accipit uxorem de Bethlehem Iuda, ibi Hebræus sic habet. Accipit sibi uxorem concubinam. Et postea, ubi uetus lectio habet: Quæ reliquit eum, ibi Hebræus legit: Et fornicata est apud eum. Diximus autem capite

pite octauo de concubinato, quod iuxta leges ciuiles apud ueteres hoc
 solum legitimum matrimonium reputabatur, quod contrahebatur in
 ter liberum & liberam. Nam si seruus seruam, aut liber ancillam duce
 bat, non dicebatur coniugium, sed contubernium aut concubinatus.
 Hoc autem sic intelligendum est, quod ancillæ in matrimonium du
 ctæ, & concubinæ uocatæ, non iudicabantur scorta, sed erant coram
 Deo ueræ uxores, & licebat bona conscientia cum ipsis habitare.
 Hoc tantum deerat eis, quod non habebant honorem matrisfamilias.
 Liberi enim earum non erant legitimi hæredes bonorum, sed daban
 tur eis legata & dona. Vnde & hoc loco Leuita dicitur concubinam
 habuisse, nimirum, non scortum, (quamuis postea scortabatur & a
 dultorium committebat) sed seruam aut ancillam in matrimonium du
 ctam, carentem tamen honore matrisfamilias. Quod autem dicitur:
 Fornicata est apud eum, & abiit ab eo, & reuersa est ad domum pa
 tris sui, indicatur causa, quare a marito suo abierit, uidelicet, quia cõ
 miserat adultorium, & impatiens erat maritalis increpationis. Hic er
 go uides quàm inordinatus sit status rerum publicarum, ubi non sit
 magistratus qui publicas leges administret. Erat enim lex: Adultera
 morte moriatur, lapidibus eam obruent. Contra hanc autem legem
 peccauerat uxor Leuitæ. Sed ecce manet impunita & in domo mariti,
 & in domo parentum, quia non erat magistratus qui publicas leges
 administrabat, & priuatis hominibus non licebat pro ipsorum arbi
 trio publica supplicia alicui inferre. Obserua præterea hoc in loco
 morositatem huius adulteræ. Erat iuxta legem morti obnoxia, nih
 lomminus tamen cum impunis relinqueretur, tantum abest, ut humili
 et sese coram marito, & perferat increpationes eius ut potius aufugi
 at ab eo. Quid ergo? num aufugit supplicium Dei? nequaquam.
 Etsi enim mox cum marito reconcilietur, & euadat supplicia homi
 num, tamen non euadit supplicium Dei. Quanta enim ignominia affi
 ciatur, & quæ horribiliter pereat, statim in hoc capite sequetur.

SECVTVS EST EAM VIR SVVS, VOLENS
 EAM RECONCILIARE SIBI.)

Magna est huius Leuitæ honestas, quæ reconcilietur cum adultera.
 Quancumque enim iuxta legem liber erat ab ipsa, tamen maluit saluti adul
 teræ consulere, quam sua libertate uti. Cogitauit enim, quid? Si omnino
 eam repudies, sectabitur fortassis publicas scortationes, & peribit
 tam corpore quam anima. Si autem reduxeris eam, bona spes est ipsam pœ
 nitentiam acturam, & caste ac pudice uicturam. Vulgatū dictum est:
 Qui nuncquam cecidit, nuncquam resurrexit. Semel lapsa est in peccatū, quid
 si firmior a peccato resurgeret? Nosti quidem adultorium eius, sed

non uidisti suspiria aut lachrymas, quas ob commissum adulteriū fortassis effudit. Quod si tu in hoc peccatum lapsus esses, an non uelles ut tibi poenitentiam acturo ignosceretur? An non subinde precaris Dominum Deum tuum, ut peccata tua tibi remittat? Cur igitur, quod a Deo postulas, tu idem non praestas conseruæ tuæ? His fortasse aut alijs rationibus persuasus Leuita quærit ut reconcilietur cum adultera. Quod exemplum nobis ualde obseruandum est, ut admoneamur, ne in delictis aduersum nos perpetratis summum ius erga peccantes persequamur. Summum enim ius, aiunt, summa iniuria: Et naturæ lex est: Quod tibi non uis fieri, alteri ne feceris. Cæterum, de adultera, habetur quidem talis sententia in Prouerbijs Salomonis capite xviii. Qui tenet adulteram, stultus & impius est. Sed hæc sententia non habetur apud Hebræos, & a græcis interpretibus addita est. Bona tamen est sententia, sed recte intelligenda, non enim loquitur de adultera resipiscente, sed de adultera subinde adulteria sectante. Hanc qui tenet stultus & impius est, quia cōniuet ad scortationem uxoris, & uerius leno quam maritus dicendus est. Vnde & Ecclesiasticus ait, capite uigesimo sexto. Sicut bouum iugum quod mouetur, ita mulier nequam. Qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Qui autē inquit iustas rationes quibus adulteram corrigat, ad sectandam pudicitiam reducat, & cum ipsa reconciliatur, is certe facit officium Domino Deo nostro gratissimum.

DIXITQUE PVER AD DOMINVM SVVM, VENI OBSEURO.)

Bene consulit seruus domino suo. Si enim Leuita fuisset huic consilio obsecutus, profecto cessisset in salutem, non solum uxoris eius, sed etiam totius Israelis. Non fit autem citra consilium quod Dominus Deus noster interdum seruos prudentiores reddat dominis suis. Inter homines enim nihil est abiectius aut contēptius seruis, usque adeo, ut serui uix pro hominibus computentur. Habebant quondam Domini ius uitæ & necis in seruos. Inter seruos non censetur esse coniugiū. Leges quædam dicunt seruis non fieri iniuriam, si aut conuicijs aut pugnis impetantur, quemadmodum, si quis canem aut porcum pede pulset, non dicitur cani aut porco iniuriam fecisse. Item, Serui quicquid acquirunt domino acquirunt. Breuiter, Serui prope in iumentorum ordine quondam habiti sunt: Quare cum coram hominibus tam contempti sint, honorantur a Deo, prudenti spiritu consilij & alijs donis præ dominis suis, ut contemptus eorum, diuinorum donorum claritudine compensetur. Solet enim Dominus Deus noster unius rei defectum alterius abundantia compensare. Vnde cum Lya uxor Iacob deformis esset corpore, donata est foecunditate. Contra, Rachel pulchra corpore,

corpore, priuata est dono fecunditatis. Sic Mose sermone ineloquens erat, sed donatus erat a Domino magna diuinarum rerum sapientia: Contra frater eius Aheron uir eloquens fuit, sed deerat ei tanta diuinarum rerum cognitio, quanta Mose a Domino concessa erat.

CVI RESPONDIT DOMINVS, NON DECLINABIMVS.)

Consilium serui uidebatur & imprudens & ignauum, consilium autem domini Leuitę uidebatur prudentissimū. Non declinabimus, inquit, in oppidum gentis alienę, quę non est de filijs Israel. Sed si euentum rei consyderes, profecto consilium serui prudentissimum, Leuitę autem imprudentissimum fuit. Nam q̄ relicta Iebus, diuertant ad Gibeā, occasio est omnium eorum malorum quę postea euenerunt. Itaq̄ quod optime cogitatum & consultum est, hoc pessime cessit. Quid enim prudentius q̄ fugere hospicia hostium & impiorum, & diuerti ad amicos, qui sunt & eiusdem sanguinis & eiusdem religionis? Quid autem peius q̄ uxorem rapi, prostitui, prostitutam turpissime mori, & multa milia hominū occidi, hęc enim omnia mala e consilio Leuitę prouenerunt. Ceterum, hoc exemplum non est nobis propositum, ut abiecto dono sapientię, de rebus stulte ac temere consultemus, est enim dono Dei bene utendum. Sed quia exemplis uidemus optima consilia sæpe fallere, consultemus quidem optime iuxta uocationem nostram & mensuram doni nostri, attamen non est confidendum prudentia ac ratione consilij nostri, sed inuocandus est Dominus ut consilia benedicat & fortunet. Quemadmodum enim frustra uigilat qui custodit urbem nisi Dominus custodierit eam, ita frustra prudenter de rebus consultat sapiens, nisi Dominus incrementum prudentię dederit. Quare in solum Dominum & non in prudentiam nostram confidendum est.

SEDEBANT IN CIVITATE ET NVLLVS EOS RECIPERE VOLEBAT HOSPICIO.)

Describitur immisericordia & inhospitalitas ciuium Gibeatarum: Quanc̄ enim Leuita uictum secum aduexerat pro familia & iumentis suis, & hospiciū tantum, non etiam uictum petebat, a nullo tamen recipiebatur hospicio. Talis autem immisericordia argumentum est maxime impietatis, tum erga Deum, tum erga homines. Qui enim tam immisericors in proximum est, quomodo crederet Deum esse respicientem super egenos? Deum esse misericordem benefactorem? Quomodo item sentiret hominem alterum alterius carnem esse? Qui autem tam improbe de Deo & proximo sentit, is certe totam legem præuaricatur. Quare immisericordia & inhospitalitas tantum peccatum est, ut uno opere omnem legem Dei uiolet. Porro autem

L

quantum peccatum est inhospitalitas, tantum bonum est hospitalitas. Cuius rei exempla habes in Abraam & Loth, & Hebræ. xiiij.

PEREGRINVS HABITABAT IN GIBEA.)

Leuita & familia eius recipiuntur a peregrino in hospiciū, Peregrini fere contempti & uiles habentur. Sed uides hoc loco peregrinū in Gibea honestiorem & magis pium esse omnibus ciuibus. Hoc igitur exemplo discamus aduenas non contemnere. Idem exemplum habes in Loth, qui & ipse erat aduena in Sodomis, sed iustior omnibus ciuibus. Quod autem hic senex peregrinus recipiat hospicio peregrinos, memineris naturam afferre, ut faueamus his, qui eandem conditionem, eadem pericula, eadem aduersa, quibus nos perfuncti sumus, sustineant. Vnde Dominus toties monet Israelitas huius naturalis affectus, & iubet peregrinos & aduenas amare, quia et ipsi, inquit, fuistis aduenæ in terra Aegypti. Quare, cum animaduertit Dominus nos immisericordes esse erga miseros & afflictos, solet & nos in miseriam & afflictionem conijcere, ut excitetur in nobis naturalis affectus, & discamus alijs misericordiam exhibere. Premit nos Dominus his annis magna fame & rerum caritate. Quamobrem? certe præter alias causas etiam ob hanc, quod erga pauperes & egenos immisericordes fuerimus. Sinit igitur Dominus nos egere & in ediam pati, ut sentiamus in nobis ipsis qualis sit affectus eorum qui famem patiuntur, & ex hac rerum caritate discamus proximo nostro egeno charitatem exhibere.

INTRODVXIT EVM IN DOMVM SVAM.)

Vide humanitatem huius senis. Introducit peregrinos in domum suam, prebet pabulum a sinis, lauat pedes peregrinorum, parat eis conuiuium, ac magna animi lætitia cum ipsis conuiuatur. Sed quanta est huius senis humanitas, tanta est crudelitas ciuium suorum. Cum enim senex lætaretur cum hospitibus suis, circundederunt ciues aliquot adolescentes, filij Baal, domum senis, & magno clamore postularunt Leuitam ut abuterentur eo. O facinus nefandum, O scelus abominabile. Idem facinus habes Gene. decimo nono in Sodoma. Quid his adolescentibus turpius? Primum student crapulæ & ebrietati, deinde noctu uagantur in plateis, & fores ciuium effringunt. Postremo tanta scelera audent, ut ea nec nominare fas sit. Et hæc inde a deo euenire solent, dum nec parentes liberos ad sectandam pietatem educant, nec magistratus publica flagitia legitime punit.

EGRESSVSQVE AD EOS SENEX.)

Magna est huius senis pietas, qualis & in Loth legitur. Mauult enim suam ipsius filiam probro exponere, quæ ad atrocissimum ciuium suorum

suorum crimen conuiuere. Sed quid? an non est peccatum filiam suam stupro tradere? & non sunt facienda mala ut eueniant bona? Recte dicis, peccatum est magnum filiam suam prostituere & facere mala ut eueniant bona. At hic senex, non prostituit filiam suam, nec recipit se quid mali facturum, sed uult minus malum tolerare in sua filia, ut maius malum caueatur. Minus malum est, quamuis per se magnum sit, filiam stuprari, maius est uiro abuti aduersus naturam. Tamen autem non sunt facienda mala, tamen sunt toleranda minora mala ut maiora caueantur. Quare ut maxima ita prudentissima est pietas huius senis, quod potius uult ferre contumeliam familiae suae, quam in tam nefandum scelus consentire.

AT MULIER PRVSQVAM ILLVXIT, VENIT AD OSTIUM DOMVS.)

Concubina a sceleratissimis ciuibus dimissa, ad ostium domus, in quam maritus eius Leuita diuerterat, mortua corruit. Quanquam autem ciues atrox facinus in hanc mulierem designauerant, hoc tamen nefandissimo & abominabili mortis genere punit Dominus Deus noster adulterium huius mulieris, quod antea commiserat. Habes igitur exemplum quo perspicue uides, quod & si supplicium magistratus in sceleribus tuis effugas, aut magistratus cessauerit, non tamen cessat Deus, nec effugies supplicium Dei. Idem exemplum habes in Cain, qui cum occidisset fratrem suum, & non esset qui fratricidium puniret, ab ipso met Deo ita punitus est, ut ad sonitum folij uolantis tanquam ad gladium ceruici imminentem quouis momento trepidauerit. Quid ergo, inquires? designato scelere, non licet supplicium ratione aliqua effugere? Profecto tantisper non licet, dum non resipueris a scelere. Age uero poenitentiam & resipisce, tunc non solum effugies supplicium, praesertim aeternae damnationis, sed etiam peccatum tuum ita obliuioni coram Deo tradetur, ut perinde ac si non esset perpetratum reputetur. Hierem. xxxi. Propiciabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius. Et capite xvij. Si poenitentiam egerit gens ista a malo suo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego poenitentiam super malo quod cogitavi ut facerem ei. Est praeterea & istud hoc loco obseruandum, quod nihil inconstatius sit gaudio huius seculi. Nam in socero huius Leuitae, in filia eius, & in ipso Leuita maximum erat gaudium, quod maritus cum uxore sua reconciliatus esset. Et huius gaudij argumentum est conuiuium quod socer instituerat, quemadmodum supra descriptum est. Nunc autem uide, in quantum luctum gaudium istud uertatur. Vxor Leuitae a ciuibus Gibeae rapitur, & nefando mortis genere perit. Quantum putas luctum hanc foeditatem & patri & marito, adeoque toti familiae attulisse? Sed haec est

sors rerum huius sæculi. Quare in gaudio memineris luctus, & in luctu memineris gaudij. Et quemadmodum Ecclesiasticus scribit, in die bonorum ne immemor sis malorum, & in die malorum ne immemor sis bonorum.

QVAM CVM ESSET INGRESSVS, ARRIPVIT CVLTRVM.)

Leuita hoc consilio dissecat uxorem suam mortuam in duodecim partes, & mittit singulas partes ad singulas tribus, ut cum nemo inter Israelitas grauitate facinoris ad uindictam commoueretur, uel saltem spectaculi huius horrore & abominatione aliqui ad ultionem inuiterentur. Nec frustraneum est huius Leuitæ consilium. Efficit enim hoc spectaculo, ut omnes Israelitæ uno animo ad uindicandum facinus istud excitentur, quemadmodum in sequenti capite describitur. Huius autem Leuitæ pietas supra commendata est. Quid ergo ad hoc factum dicemus? pietas ne est, quod appetat uindictam? num innocens iudicandus est Leuita, quod in sua ipsius causa tantum bellum in Israel excitet, in quo bello pene centum milia uirorum trucidentur? An non Leuita uidetur omnium horum homicidiorum author esse, & culpa in caput eius recidere. Respondeo. Cum DOMINVS ait. Mihi uindictam, & ego retribuam, non de publica & legitima, sed de priuata uindicta loquitur. Hic autem Leuita non appetit priuatam uindictam. Si enim hanc appetisset, non misisset partes dissectæ uxoris ad tribus Israel, sed ipse bellum indixisset Gibeitis, & ciuitatem eorum, congregatis latronibus oppugnasset. Nunc autem nihil ipse iniuriæ infert Gibeitis, sed appetit uindictam legitimam. Vnde & ad eos partes uxoris dissectæ mittit, quorum intererat legitimam uindictam de sceleratis sumere. Cæterum legitimam uindictam appetere non est impium, sed est affectus legi diuinæ conueniens. Qui enim uult, ut atrociam flagitia aduersus legem commissa non puniantur, is & approbat flagitia, & legem Dei odio habet. Quare Leuita nihil impie hoc loco agit, nec habet culpam horum homicidiorum, que in isto bello fiunt. Sed culpa reijcienda est in sceleratos ciues Gibeæ, qui quod scelerate fecerunt, impie defendebant.

CAPVT XX.

EGRESSI ITAQUE SVNT FILII ISRAEL.)

In hoc capite describitur bellum intestinum, quod filij Israel gesserunt aduersus Beniamitas. Quanquam autem commemoretur tale bellum, quod ad nos nihil pertineat, tamen multa ueniunt in eo obser-

obseruanda. Primum, admonemur exemplo Israelitarum, quod non temere negotio inexplorato iudicandum sit. Deinde, quod innocens non sit puniendus cum nocente. Tertio, quod qui approbat & defendit flagitium, & si opere non designauerit illud, tamen eiusdem culpæ reputatur cum eo qui cõmisit flagitiũ. Quarto, quod nihil sit presumendum fiducia iusticiæ nostræ ac uirium nostrarum, sed iusticia quidem sectanda est, attamen confidendum est in solam clementiam Dei. Quinto, quod scelix rerum euentus non arguat æquitatem causæ, sicut nec infelix, iniquitatem. Postremo, quod iniquitas etiamsi diu prosperum habeat successum, tandem tamen grauissime & seuerissime puniatur. Hæc omnia ex ordine uidebimus. Principio, Israelitæ congregantur ex omnibus finibus suis a Dan usq; Berseba, qui sunt duo termini finium Israelitæ, & congregantur numero quadringenta milia peditum, nec dum tamen quicquam graue aduersus ciues Gibeæ decernunt. Sed negotium, sicut gestum est, antea probe explorant, quo explorato mittunt legatos ad Benjamin, in qua sita erat Gibeæ & postulant eos tantum, qui flagitium in uxore Leuitæ commiserunt, ad supplicium. Prudenter sane, quod nec inexplorata causæ in tribum Benjamin grassantur, nec innocentem unam cum nocente perdere cupiunt. Atq; utinam hoc exemplum tam magistratus, quam priuati imitarentur

QVI NOLVERVNT FRATRVM SVORVM.)

Beniamitæ nec puniunt sceleratos ciues Gibeæ, nec Israelitis ad pœnam legitime eos postulantibus tradunt, sed parant pro eis bellum aduersus Israelitas. Hac igitur defensione faciunt se ipsos affines culpæ eius sceleris, quod ciues Gibeæ designarunt, & nunc iure reputantur, tanquam si ipsi tale facinus opere fecissent. Non enim, inquit Paulus, hi tantũ, qui talia faciunt digni sunt morte, uerum etiam qui assentiuntur ijs qui faciunt.

EGRESSIQVE FILII BENIAMIN DE GIBEA.)

Israelitæ iustissimam habent causam aduersus Beniamitas, uincuntur tamen secundo a Beniamitis, & fœda multorum strage trucidantur. Cur ita? Quia DOMINVS uoluit Israelitarum exemplo uniuersum orbem admonere, ne quis in ullam æquitatem humanam, aut causæ iusticiam quantumuis rectam confidat. Sed in solam misericordiam DOMINI Dei nostri. Ergo ne, inquires, iuxta refert, uel iustam, uel iniustam causam contra hostem habere, modo confidas clementia Dei? Absit. Omnino danda est opera ut iustam habeas causam. Nam si iniustam & iniquam habueris, non est aliud reliquum consilium, quam ut resipiscas ab ea. In causâ uero æqua & iusta, hoc omni modo prouidendum est, ne fiduciam tuam

colloces in æquitate causse, sed in misericordia Dei. Non enim est in aliud fidendum, quam in DOMINVM Deum nostrum. Æquitas autem causse nostræ, non est Deus noster, sed creatura Dei. Confunditur autem qui confidit creatura. Quare non est confidendum æquitate causse. Ac in causa quidem iniqua, nemo potest Deo confidere, & Deum ex fide pro auxilio inuocare, propterea quod Deus maledixerit iniquitati, & resistat ei. Non Deus, inquit Psalmus, uolens iniquitatem tu es. In causa uero iusta & æqua, non solum licet, sed etiam oportet ex præcepto DOMINI fidere promissione eius & inuocare auxilium ipsius. Promisit enim Deus omnibus ambulanti- bus in uocatione ipsius, se adfuturum, & seruaturum eos. Qui autem habent æquam causam, ambulant in uocatione Dei. Proinde debent in ea DOMINVM inuocare, & auxilium eius ex fide expectare. De inde monet nos DOMINVS in Israelitis secundo uictis, causas negotiorum non esse iudicandas ex euentu. Israelite enim non ideo habuerunt iniustam causam cōtra Beniamitas, quod bis infelicitè pugnauerint. Sic non ideo iniquus est Ioseph, quod in carceres includitur. Non ideo impius est Dauid quod è regno expellitur. Etenim quæ maledictiones aduersus iniustos per legem pronunciatæ sunt, hæ pro fortuna huius seculi, in pios potius quam in impios, donec reueletur iudicium Dei, recidunt. Reuelate autem Deo iudicium suum, tunc & pii benedicuntur, & impij maledicuntur.

QVAMOBREM OMNES FILII ISRAEL VENERVNT AD DOMVM DEI ET SEDENTES FLEBANT.)

In Israelitis deuictis, & Beniamitis uictoribus pulcherrime depingitur, quomodo sese gerat humanum ingenium in aduersa & prospera fortuna. Si enim calamitas aliqua repentina acciderit, ibi tum uides eos quoque qui alioqui impij sunt, religiosos fieri. Si autem felicitas aliqua contingat, ibi nec modum, nec finem arrogantiae inuenias. Hinc est quod Israelite bis deuicti peregrinantur ad domum Dei ubi erat arca testamenti, flent coram DOMINO, ieiunant usque ad uesperam, offerunt holocausta & Teletica, ac consulunt DOMINVM per sacerdotem Pinehas, quid faciendum sit. Contra Beniamitæ prioribus uictorijs elati Deum plane non requirunt, sed suas uires & uirtutes admirantur, cristas attollunt, securi e portis urbis suæ erumpunt, non tanquam ad prælium, sed tanquam ad prædam festinantes. Quia enim, ut Ecclesiastes inquit, non cito profertur contra malos sententia, absque timore ullo filij hominum perpetrant mala. Ceterum, quod Israelitæ dicuntur ieiunasse usque ad uesperam & obtulisse holocausta, ad eius temporis & Reipublice sacra ac mores respicit. Holocausta enim

nim & ieiunia non erant apud Israelitas instituta, ut dignitate & merito horum operum peccata expiarentur, hoc enim fuisset contra fidem quam exigebat promissio de semine Abrahamæ. In semine tuo benedicentur omnes gentes terre. Sed erant propter alias causas instituta. In afflictionibus enim tentatur conscientia de peccatis, de ira Dei & damnatione. Vbi autem conscientia tentatur, ibi danda est opera, ut confirmetur fides de remissione peccatorum, de placato Deo et de salute. Sunt igitur holocausta instituta in significationem sacrificij Domini nostri Iesu Christi, quo peccatum per Christum expiatur & pater placatur, ut Israelita holocausta offerens, non mereatur hoc opere peccatorum remissionem, sed confirmet fidem suam, quod propter semen Abrahamæ habeat gratis remissionem peccatorum. Ieiunia autem usque ad uesperam obseruata sunt, non ut expiatio pro peccatis, sed ut disciplina qua corpus in obsequio publicorum sacrorum, retineretur, de qua re alias sæpe dictum est.

CRAS TRADAM EOS IN MANVS VESTRAS.)

Hæc promissio Dei obseruanda est, ut ex hac iudicare queamus quæ sit uera causa propter quã Dominus tradiderit Beniamitas in manus Israelitarum. Habebant enim Israelitæ a parte sua primum iustam causam aduersus Beniamitas, deinde etiam maiorem militum numerum. Postremo singularem prudentiam administrandæ rei militaris, id quod in hoc apparet, dum insidias post urbem collocant et fugam simulant, quemadmodum mox sequitur. Quantaunque autem hæc sunt, propter ea tamen non contingit Israelitis uictoria, sed tamen propter misericordiam Dei. Promittit enim Deus uictoriam. Vbi autem est promissio Dei, ibi non est debitum, sed gratia & misericordia. Ergo ne inq̄es, non est curandum de iusticia causæ, de multitudine militum, & de prudentia rei militaris. Imo maxime curandum est de ipsa causæ iusticia, ut in uocatione Dei ambulemus, & deum inuocare, ac misericordia eius fidere audeamus. Et ne Deus tentetur, utendum est bonis Dei creaturis, & rebus ad negocium nostrum accommodatis, ut in bello, utendum est militibus & prudentia rei militaris. Hæc enim creature dei in hoc ordinate sunt, ut in bello ipsis utamur. Sed his rebus non est confidendum. Proinde Israelitæ utuntur quidem rebus propositis, multitudine uidelicet militum suorum, insidijs, simulatione fugæ, & id genus alijs. Sed confidunt tamen promissione Dei, qua fide etiã efficiunt, ut uictoria potiantur.

PERCVSSITQVE DOMINVS BENIAMIN CORAM FILIIS ISRAEL.)

Hoc illud est quod in Psalmo lxxij. scribitur de impijs. Veruntamen propter dolos posuisti eis, deiecisti eos dum alleuarentur. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt, perierunt propter iniquita-

rem suam. Et Ecclesiastes: Attamen peccator ex eo quod centies facit malum & per patientiam sustentatur, ego cognoui quod erit bonum timentibus Deum, qui uerentur faciem eius. Nam Beniamitæ hæcenus prosperrimum in iniquitate sua successum habuerunt, sed ecce, uel tandem ad internitionem usque cæduntur, & exitium eorum quo tardius eo grauius & atrocius uenit. Admoneamur igitur hoc exemplo ut habentes iniquam causam non persequamur eam, sed in tempore ab ipsa relipiscamus, ut iudicium Dei effugientes, salutem consequamur.

VERTIT AVTEM SE BENIAMIN ET FUGIT DESERTVM VERSVS.)

Qui incipiunt a Domino affligi, hi non una, sed subinde alia atque alia calamitate obruuntur. Præterea quos iudicium Dei comprehendit, hi nusquam inueniunt tutum asylum. Amos cap. ix. Non erit fuga eis &c. Vnde Beniamitæ in fugam uersi ad desertum contendunt. Sed & illic ab Israelitis trucidantur. A deserto ad petram Rimon penetrant. Sed nec sic stragem effugiunt, adeoq; tanta cæde percutiuntur, ut de multis milibus fortissimorum bellatorum, sexcenti tantum superstitibus euadant. In urbe autem Gibeæ omnia tam homines q̄ iumenta trucidantur, & alia quæ in urbe erant igni comburuntur. Tanta seueritate punitur scelus ciuium Gibeæ, & impium auxilium quod Beniamitæ sceleratis hominibus præstiterunt.

CAPVT XXI.

IURAUERANT QVOQVE FILII ISRAEL.)

In hoc ultimo capite depingitur q̄ insanus rerum consultor sit præceps ira, & quantum incommodi afferat zelus sine scientia. Nam cum Israelitæ audirent horrendum facinus ciuium Gibeæ, & uiderent Beniamitas non solum non punire facinus istud, sed etiam sceleratos defendere, tanta ira exardescunt, ut continuo iudicent totam familiam Benjamin internitione dignam. Quare non statuunt tantum se tribum illam bello persecuturos & oppressuros, uerumetiam iurant se nulli ex ea tribu filias suas in uxorem tradituros, ut etiamsi aliqui gladium euaserint, ob penuriam tamen uxoribus non queant tribum suam pristinae incolumitati restituere, neq; enim licet per legem conubia cum filiabus Cananæorum iungere. Quam q̄ autem Beniamitæ propter scelera sua, que partim opere, partim cōsensu perpetrauerunt, tantam iræ ac supplicij seueritatem optime meriti sunt (cum enim scelus eorū non dissimile sit sceleri Zodomitico, certe simile quoq; supplicium

placitum & internitio conuenit eis) non tamen licuit Israelitis sine mandato Dei tanta crudelitate in totam tribum Benjamin grassari, ut internitionem eius meditarentur. Iustum est sceleratos punire, modum poenae transgredi non est iustum. Hostes uincere licet, uictoria ad crudelitatem abuti non licet. Nebucadnezari regi Babylonis concessum erat, ut uinceret Israelitas, & regionem eorum deuastaret. Sed cum ille non seruaret modum uictoriae, & ut propheta ait, non poneret eis misericordias, sed aggrauaret iugum suum super senem, audit: Veniet super te malum, & nescies ortum eius & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare, Et alius propheta: Hec dicit Dominus Zabaoth, Zelatus sum Hierusalem & Zion zelo magno, & ira magna ego irascor super gentes opulentas, quia ego iratus sum parum, ipsi uero adiurauerunt in malum. Quare danda est opera, ut cum in omnibus rebus, tum maxime in inferendis supplicijs mediocritatem serues. Omnibus (inquit ille) adde modum, modus est pulcherrima uirtus. Caeterum, quod Israelitae iurauerint se non duros filias suas in uxores Beniamitis, quanquam sit iuramentum iniquum & iniustum, quemadmodum postea indicabimus, tamen declarat, quod eo tempore non licuerit filiabus, in scijs & inuitis parentibus, matrimonium contrahere. Nam si hoc filiabus licuisset, & matrimonium clam initum ratum fuisset, profecto iuramentum Israelitarum nihil periculi habuisset, & uanus fuisset dolor, quo postea propter iuramentum afflicti sunt. Iam & Romanae leges idem sentiunt, quod ad contrahendum matrimonium requiratur consensus parentum. Sic enim inquirunt: Consensum habeant parentum quorum in potestate sunt. Nam hoc fieri debere & ciuilibus & naturalis ratio suadet, intantum ut iussus parentis praecedere debeat. Sola papistica impietas ratum habet, quod nec ciuilibus nec naturalis ratio ratum pronunciarere potest.

VENERVNTQVE OMNES AD DOMVM
DEI IN SILO.)

Hic iam sequuntur iusta praecipitis irae supplicia. Ac antea quidem Israelitae satis magnas praecipitantis suae poenas dederunt, dum uicti a Beniamitis discesserunt. Nunc autem sequuntur alia supplicia. Primum magna poenitentia ducuntur, & ingenti dolore afficiuntur, quod in inferendo supplicio Beniamitis iram potius quam uerbum Dei in consilium adhibuerint. Deinde hunc dolorem etiam externis operibus declarant. Coeperunt magno ululatu flere, suum ipsorum furorem palam detestantur, & fortunam publicam questibus iterant. Vides poenitentiam esse praecipitis irae comitem, quare iratus nihil aut dicas aut facias, donec affectus irae conquiescat. Nobilis est uox illa Archite Tarentini, qui cum animaduertisset millicum negligentiam, intuere

turque male meritum. Sumerem, inquit, a te supplicium, nisi tibi iratus essem. Celebre est & illud Athenodori Philosophi dictum, quo docuit Cæsarem Augustum iram compescere. Cum fueris, inquit ille, iratus, ne quid dixeris aut feceris, priusquam græcarum literarum uiginti quatuor nomina apud te recenseris. Significans moram iræ interponendam esse. Est enim ira breuis insania, quod autem insania sani consuleret.

ET DIXERVNT: QVIS NON ASCENDIT IN ECCLESIAM.)

Nunc tandem coguntur Israelitæ multa sollicitudine de restituenda tribu Benjamin consultare. Qua consultatione prorsus non eguissent, si iustum bellum consilio potius quam ira administraissent. Itaque cum uideas Israelitas sollicite occasionem querere restaurandæ tribus Benjamin, memineris, quod iram non solum poenitentia, sed etiam ingentes curæ & sollicitudines comitentur. Quare nisi uolueris te ipsum magnis doloribus, curis & sollicitudinibus obicere, fac iram deponas. Irascimini, inquit Psalmus, & nolite peccare. Et Paulus: Sol non cadat super iram uestram. Et Christus: Quisquis irascitur fratri suo obnoxius est iudicio.

ET POENITUIT FILIOS ISRAEL SVPER FRATRE SVO BENIAMIN.)

Israelitæ reuocant ob oculos suos temeritatem, qua non solum totam pene tribum Benjamin deleuerant, sed etiam iurauerant se superstitibus non dâtuos de filiabus suis uxores, ut hoc pacto totam tribum funditus ex Israel tollerent. Videamus igitur & nos quale sit huius iuramenti genus, ut & de obseruatione aut uiolatione eius iudicare queamus. Nam licita quidem & pia iuramenta omnino obseruari debent iuxta legem: Non assumes nomen Domini Dei tui frustra. Non enim habebit Dominus infontem eum qui assumpserit nomen suum frustra. Hoc autem iuramentum quod hoc loco Israelitæ iurauerunt, nec pium nec licitum fuit. Primum enim iurauerunt absque uerbo Domini ex iræ precipitantia. Non igitur potuerunt ex fide iurare, quicquid autem non est ex fide peccatum est. Deinde iurauerunt aduersus ordinatiõem Dei, ordinauerat enim Deus in Israel xij. tribus inter quas & Benjamin non minimas habebat benedictiones Dei per Moysen prædicatas. Postremo iurauerunt aduersus charitatem proximi. Cum igitur hoc iuramentum tot modis illicitum sit & impium, nullo modo obseruari debuit. Vbi enim iuramentum est impium et illicitum, ibi obseruatio eius merito magis est impia & illicita. Sed ut maxime tale iuramentum non est obseruandum, tamen non est temere & præfracte uiolandum, ne rudiores hoc exemplo inuirta

Inuitati discant nomen Domini uile habere, et iuramenta etiam pia ac legitima uiolare. Quare Israelitę quanto imprudentius antea iurauerant, tanto prudentius nunc consultant, si quo pacto fieri possit, ut & superstites Beniamitę uxores nanciscantur, & ipsi non necesse habeant iuramentum publice uiolare. Primum igitur inquirunt, qui Israelitarum ab exercitu abfuerint, & iuramento non obstricti sint, ut horum filias superstilibus Beniamitis, quorum adhuc erant sexcenti, in uxores tradant. Ecce autem inuenti sunt habitatores labes Gilead non fuisse in exercitu. Quare mittuntur duodecim milia uiroꝝ, qui percussis ciuibus labes, uxoribus & paruulis eorum, uirgines nobiles referuent, & inuentę sunt quadringentę uirgines, quę nescierunt thorum uiri, quę & quadringentis Beniamitis in uxores traditę sunt, Quę est illa inquit barbaries, parentes interficere, ut filias eorum abducas? Respondeo: Nulla fit iniuria ciuibus labes, sed iuste ac legitime ab Israelitis plectuntur. In expeditione enim Israelitarum aduersus Beniamitas, omnes Israelitę ad bellum & uindicandum tam horrendum scelus uocati sunt, & iuratum est, ut, si quis Israelitarum auxilium suum non conferat, non aliter reputetur quę si consentiat in facinus Beniamitarum. Vnde & tanquę Beniamita interficiatur. Hoc iuramentum & positum non fuit nec impium nec iniquum. Nam qui in publicis dissensionibus nulli parti accedit, sed expectat rei euentum, is merito inter aduersarios computatur. Non autem loquor de his quorum non interest sese alienis dissensionibus immiscere. Cur enim hi conicerent sese absq; legitima uocatione in causam periculosam, quę ad eos non pertineat? Sed de his loquor ad quorum officium & uocationem pertinet, huic aut alteri parti in publicis dissensionibus accedere. Hi si anticipem animum inter diuersas partes gerunt, & potius ducunt fortunam expectare, quę fidem & officium suum sectari, optimo iure pro hostibus habentur. Sunt enim officiorum suorum desertores, & fidei suę quam debent Reipub. uiolatores. Vnde cum Metius Suffecius tam anticipem sese gereret inter rem Fidenatem & Romanam, quem admodum scribit Liuius, corpus eius duabus quadrigis in diuersum distractum est. Et Solon prudentissimus Atheniensium legislator, publica lege eum honoribus abdicat, qui orta seditione neutram partem secutus sit. Pompeius quoq; cum in bello ciuili, quod Cęsar Iulius gerebat, a Roma cum aliquot Senatoribus fugeret, dixit, Se eum qui Romę remaneret & se non sequeretur, habiturum pro hoste & Cęsariano. Sic & hi qui in pręsenti nostrę religionis controuersia (hęc enim causa ad omnes pertinet) sese medios gerunt, & nec nouam quam uocant, nec ueterem religionem sectantur, inter hostes religionis censendi sunt. In bello autem quod Israelitę aduersus

Benlinitas gesserunt, ancipites habuerunt animos ciues urbis labes in Gilead, & nec Benlinitis nec Israelitis sua auxilia miserunt, cum id requireret officium eorum, sed expectare uolebant euentum rei, & quo fortuna cadat, eo inclinare auxilia sua. Quare ut publici hostes legitime ab Israelitis trucidantur. Deinde cum in labes 400. tantum uirgines inuenirentur, & adhuc 200. Benlinitæ reliqui essent, qui nō habebant uxores, inierunt maiores natu consilium de conuiuendo ad raptum earum uirginum, quæ ducebant solenni more choros in Silo. Atq; hoc quidem non uidetur iuxta externam speciem uiolatio iuramenti, sed potius uiolentia ac iniuria à ducentis uiris illata. Si autem rem probe perspicias, plusquam uiolatio iuramenti est. Conuiuent enim ad raptum uirginum, qui etiam iuxta leges gentium capitalis est, atq; ita obseruando iuramentum, tantum abest, ut obseruent, ut conuiuendo ad raptum et excusando eum multo magis uiolent.

Hoc autem non fuit nec imprudenter nec impie consultatum. Maluerunt enim minus malum tolerare quam temeraria iuramenti uiolatione nomen Domini quo iuratum erat contemptibile in uulgo reddere. Quare ne his periculosis cōsilijs egeamus, danda est nobis opera, ut & a precipitantia ire, & ab illicitis ac impijs iuramenti caueamus.

✱

FINIS IVDICVM.

RUTH



LIBELLVS, QVI INSCRIBITVR RUTH.
 & si paruus admodum est, si externam eius speciem
 consideres, magnę tamen causę sunt, ob quas literis
 mandatus est. Primum enim, scriptus est, ut propo-
 neretur nobis exemplum obseruatę legis, quę iubet
 fratrem, aut cognatum, uxorem defuncti fratris seu
 cognati ducere & semen ei suscitare, quę lex habetur in Deuterono:
 capite xxv. Deinde, ut cognosceretur genealogia regis Davidis. Po-
 stremo, hic libellus ad hoc præcipue utilis est, ut sciremus familiam
 Ruth, quę in genealogia Domini nostri Iesu Christi commemora-
 tur, & haberemus ueluti commentarium eius, quod Matthæus in ge-
 nealogia Christi scribit, Booz, inquit, genuit Obed & Ruth. Fu-
 it autem Ruth nõ ex gente Israel, sed e gente Moabitica, qua cum non
 prohibitum quidem erat Israelitis connubia iungere, attamen prohi-
 bitum erat lege ne quis Moabita etiam post decimam generationem
 intraret in Ecclesiam Domini, hoc est, ne ad fungendũ publicum ma-
 gistratum, aut dignitatem aliquam in populo Israel eligeretur. Et ad-
 dit lex causam, quia noluerũt uobis occurrere cum pane & aqua quan-
 do egressi estis ex Aegypto. Ex hoc igitur libello magnitudo clemen-
 tię Dei maxime illustratur. Fuit enim Ruth, quemadmodum hæc hi-
 storia tradit, e Moab, gente, Israelitis abominabili, adhęc fuit mulie-
 rum omnium prope miserrima, & contemptissima. Primum enim
 quia nupsit Israelite, habita est a Moabitis suis contemptui. Deinde
 quia maritum morte amisit, & diuertit una cum socru ad Israelitas,
 duobus nominibus misera fuit, & q̄ uidua, & q̄ peregrina inter ho-
 stes populi sui uixerit, atq̄ adeo iuxta nomen suum, multis tremori-
 bus & calamitatibus obnoxia fuit. Ruth enim, si interpreteris, tre-
 mulam significat. Nam רַחַו Rathat tremere est, quod & nos uernacu-
 la lingua cum hebręa dictione conuenienti, den Ritten uocamus.
 Cum autem Dominus Deus noster hanc miserrimam & afflictissimã
 mulierem ita respexerit, ut fecerit eam auiam, primum, clarissimo-
 rum & potentissimorum regum Davidis & Salomõis. Deinde, quod
 maximum est, seruatoris nostri, Domini cœli & terrę, Iesu Christi,
 quis non admiretur immensam Dei clementiam? quis in afflictione
 positus, hoc exemplo, ad confirmandam fidem suam nõ animaretur?

M

PRÆFA: IN LIBEL: RUTH

Hec enim propter Ruth tantum neq; acta, neq; scripta sunt, sed potissimum propter nos, ut exemplis clementiæ Dei, qua ille suscitavit a terra inopem, & erigit de stercore pauperem, in fide nostra confirmati, bene in omnibus afflictionibus speremus. Postremo etiam illud in hoc loco observandum est, quod Dominus Deus noster non frustra elegerit Ruth Moabitidem in aviam Christi filij sui, neq; absq; consilio spiritus Matthæus Evangelista hanc diserte in genealogia Christi exprimat. Hac enim re significatum est, quod Iesus Christus non tantum ad Israelitas, verum etiam ad gentes alienigenas pertineat, quando ex alienigenis quasdam avias suas elegerit.



CAPVT

CAPVT PRIMVM



IN DIEBUS QUANDO IVDICES
PRÆERANT.)

Hanc historiam factam esse sub Eli sacerdote, post mortem Samsonis, testatur Iosephus. Ipsæ quoque res gestæ que in hoc libello describuntur, in ea tempora respiciunt. In ultimo enim huius libelli capite recensetur, quod Boas, qui Ruth in uxorem duxit, genuerit Obed, Obed autem, Isai patrem Davidis, que certe facta esse oportet circa tempora sacerdotis Eli, de quo in priori lib. Samuelis. Quod autem eo tempore fames esse facta in terra Israel scribitur, nihil noui est. Nam scriptura idem quoque sub patriarchis Abraamo, Isaac & Iacobo factum esse in terra Canaan testatur. Quod famem enim necesse habuit Abraam cum familia sua e Canaan ad Ægyptum peregrinari. Ob famem Isaac abiit ad regem Palestinorum. Ob famem etiam Iacob cum familia sua in Ægyptum profectus est. Hinc intelligis frequentissimam fuisse famem in terra Canaan, quam Israelitæ occuparunt. Non mediocris hæc fuit tentatio aduersus promissiones Dei, promiserat enim Dominus se daturum semini Abrahamæ terram fluentem lacte & melle. Quis autem eam terram uocaret fluentem lacte & melle, quæ tam frequentem habet famem, & e qua fames habitatores eicit? In fame & sterilitate ne satis quidem aquæ habetur, & tu fluium lactis sperares? sed promissio Dei non est ideo mendax. Primum enim solet Dominus post promissiones suas diuersum agere, ut fidem nostram exercent. Proinde tam frequentem famem in eam terram misit quam promiserat lacte & melle fluentem, nimirum, ut Israelitæ haberent occasionem exercendæ fidei suæ. Deinde etiam si terra Canaan non fuerit per se feracissima omnium regionum, & nonnunquam sterilitate affecta sit, tamen quia Dominus addidit uerbum suum, recte iudicatur ab omnibus pñs propter uerbum Dei, omnium terrarum nobilissima. Vbi enim est uerbum Dei, credentibus etiam ipsa sterilitas fit fertilitas, imo & ipsa mors, fit uita.

QVI ACCEPERVNT VXORES MOABITIDAS.)

Ruth Moabitis nubuit Israelitæ filio Elimelech. Ut igitur spiritus sanctus illustret ingentem clementiam Dei, qua ille Ruth mulierem contemptissimam in summam gloriæ maiestatem extulit, describuntur ex ordine calamitates Ruth, quibus subinde magis ac magis ita afflictæ est, ut existimares eam plane à Domino abiectam & Deum nul-

M ij

Iam prorsus rationem eius habere. Primum enim traditur in uxorem Israelitæ, qui quanquam fuerit de populo Dei, tamen hoc Moabitibus minime uidebatur, qui potius se quam Israelitas pro populo Dei reputabant. Et erat hic Israelita exul, & exulis filius, tanta egestate affectus, ut præ inopîa necesse habuerit e Bethlehem ad Moabitas migrare. Hoc igitur matrimonium talem speciem habuit, qualem speciem haberet illius Turcicæ puellæ coniugium, quæ in regione Turcarum nuberet homini Christiano, qui ob famem coactus fuisset e terra Christianorum ad Turcicam migrare. Quid autem posset tali puellæ, iuxta externam speciem, in sua gente, calamitosius accidere? Deinde manet cum coniuge Israelita decem annis sterilis. Hoc autem erat in illis gentibus magnum opprobrium. Post decem annos moritur maritus eius & fit uidua. Hic iam multo calamitosior redditur quam unquam antea fuerat. Quia enim apparebat sterilis, & fuerat nupta Israelitæ, non inueniebat inter suos, nec maritum, nec tranquilum locum uiuendi. Ad hæc cum iterum fames in terra Israel desineret, instituit socrus eius reuerti ad suam patriam, & relinquere post se Ruth & alteram nurum. Hic uideas ingentes mulierum querelas, luctus, lamentationes, & fletus, quibus significant se longe omnium afflictissimas & miserrimas esse. Ite, inquit socrus, in domum matris uestræ. Ipsæ autem eleuata uoce flere ceperunt, & dixerunt. Tecum pergemus ad populum tuum, sed socrus omnem externe felicitatis spem eis abnegat. Reuertimini, inquit, filie meæ, cur uenitis mecum? num ultra habebis filios in utero meo qui ducant uos? & reliqua quæ sequuntur. Postremo Ruth, altera nuru ad Moabitas reuersa, ad hæsit socru suæ, & proficiscitur cum ipsa ad terram Israel. Hoc autem quod aliud erat quæ non dico in exilium, sed uere in mortem ipsam proficisci. Cogita enim mihi, primum mulierem, deinde Moabitidem, adhuc sterilem, propterea uiduam, proficisci e patria sua, una cum socru, quæ solent odisse nurus, ad terram & populum Israel, in qua & gens Moabica & sterilitas & uiduitas maxime abominationi erant, quod obsecro, hæc sibi felicitatis in hoc exilio polliceri posset. Habes calamitates ipsius Ruth, quas spiritus sanctus non ideo tam longa narratione contentionum, querelarum & lamentationum, quas muliercule inter se habuerunt, describit, quod non uult sit, si muliercule fleant, aut rideat mulierularum fletus, sed ut amplificando miseriam Ruth, amplificet etiam clementiam Dei, qua Ruth ex infimis calamitatibus, in supremam huius seculi felicitatem elata est, uide licet, quod facta sit auia clarissimorum regum Davidis & Iesu Christi Domini nostri. Quid ergo nunc hoc ad solam Ruth pertinet? nequaquam, sed propter nos factum & scriptum est, ut hoc exemplo assuesceremus aduersam fortunam non putare nostram interitum, sed uiam & organum ad felicitatem. Nisi Ruth

per.

per tantas calamitates deducta esset, non uenisset in lineam genealogie Davidis & Christi. Ita nisi nos uarijs aduersitatum procellis iactemur, non peruenimus ad portum tranquillum. Paulus ait: Diligentibus Deum omnia adiumento sunt in bonum. Da igitur operam, ut diligas Deum, Sic enim aduersa fortuna tibi in bonum cedit. Sed inquis, quomodo diligam Deum me affligentem & multis aduersis concutientem? Sic diliges, si primum agnoscas peccata tua, quod meritis suis longe maiores calamitates. Deinde si credas quod Deus sit tibi propiti- us, & remiserit tibi peccata gratis propter Christum, nec quicquam aduersi tibi immittat, nisi uelit maiorem foelicitatem conferre. Hoc omnino exigit Deus ut de se ita sentiamus, & qui ita de ipso sentit, is certe non potest se continere, quin tam clementem Deum amet ac complectatur.

AVDIERAT ENIM QVOD RESPEXISSET DOMINVS POPVLVM SVVM.)

Ex hoc loco uides abundantiam & uilitatem rerum esse donum Domini, dicit enim scriptura: Audierat, quod respexisset Dominus populum suum, & dedisset eis escas. Huc accedit, quod Psalmus canit: Omnia a te expectant, ut des illis escam in tempore. Dante te illis colligent, aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabuntur. Quare in necessitate famis, non est aliud consilium quo rerum abundantia reducatur, quam ut seruientes uocationi nostrae relipiscamus et ad Dominum clamemus, ac illud quod in oratione Dominica alias solenniter commemoramus, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, uigilanti fide oremus.

FACIAT DOMINVS VOBISCVM MISERICORDIAM SICVT FECISTIS CVM MORTVIS.)

Quid: num sentit socrus, quod hae duae nurus pro maritis suis mortuis multa sacrificauerint? Nequaquam, sed loquitur de honesta ipsarum uita post mortem maritorum, & de officijs suis quae in socrum propter maritos iam mortuos contulerunt. Nam misericordiam facere cum mortuis non est Missas pro peccatis mortuorum instituere, sed est propinquis & cognatis mortuorum adhuc uiuentibus benefacere, & honestam uitam ducere, ne uel uxor defuncta, uel maritus uel parentes uel amici mortui propter uiuentium cognatorum aut amicorum turpitudinem male audiant.

QVOCVNQVE PERREXERIS, PERGAM, ET VBI MORATA.)

Vulgatum est, omnes socrus odere nurus. Sed hoc loco proponit nobis scriptura exemplum longe diuersum. Naemi magno amore com-

plectitur nurum suam Ruth. Cōtra, Ruth in tantum diligit socrum suam Naemi, ut non uelit nisi morte ab ipsa separari. Rarissimum exemplum, ideo obseruabile, ut tam socrus quā nurus ex hoc rationem uitæ sug petant. Nā per coniugium nurus fiunt filie, & socrus matres. Quā igitur charitatem debet mater filia, eam debet socrus nurui, & quam obseruantiam debet filia matri, eam debet nurus socru. Quare si exuant hos naturales affectus, ut fiant ἀσφγαι, quid reliquum est, nisi ut inter eas mulieres recensentur, quæ peiores sunt Ethnicis?

POPVLVS TVVS, POPVLVS MEVS, DEVS TVVS DEVS MEVS.)

His uerbis abnegat Ruth suam gentilitatem & idololatriam, & tradit se in familiam & religionem Israelis, quod certe facere non potuisset, nisi maxima fuisset fide prædita, quam fidem paulo post Boas probe commendabit. Sed cur non sentiamus spiritum sanctum in his uerbis Ruth longius respicere? Nam Ruth Moabitis recensetur in Genealogia Christi, ut significetur Christum non ad Iudæos tantum, sed etiam ad Gentes pertinere. Vnde quod hoc loco dicit, populus tuus populus meus, deus tuus Deus meus, quid aliud agit, quam quod sua uoce omnes Gentes Domino Deo nostro offert, & facit ex ipsis Israelem & populum Dei? Huic uoci non dissimile est quod Esaias capite ij. scribit: Erit, inquit, in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in uertice montium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes Gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini &c. Et Zacharias cap. viij. In diebus illis apprehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent simbriam uiri Iudæi dicentes: Ibimus uobiscum, audiuimus enim quoniam Deus uobiscum est.

NE VOCETIS ME NAEMI, SED VOCATE ME MARA.)

Naemi ad patriam suam reuersa oībus ciuibus stupori est, quod egressa sit foelix marito & liberis, redierit autem infelicissima una tantū nuru comitata. Vnde & ipsa suum ipsius nomen abominatur, dicens: Ne uocetis me Naemi, sed uocate me Mara. מַרָּא significat iucundā, pulchram & uenustam. מַרָּא significat amaram, acerbam. Commutat autem Naemi sibi nomen propter miseras & calamitates suas, Vocate, inquit, me Mara, quia amaritudine ualde repleuit me omnipotens. Egressa sum plena, & uacuum reduxit me Dominus. Proponuntur autem hæc nobis, ut discamus aliorum leuiculas, pro ut nobis apparent afflictiones non irridere. Vnicuique enim sua crux grauissima est, & quod alteri esset consolatio, alteri fortassis est summa afflictio. Sunt mulieres quæ mariti mortem & filiorum interitum etiam annum

annum optent. Sed huic Naemi nihil potuit in hoc saeculo tristius accidere, quæ mariti & liberorum interitus. Sunt aliæ mulieres quæ sterilitatem tanquæ requiem desyderent. Sed Saræ & Hannæ matri Samuelis, & Elizabethæ matri Iohannis Baptistæ nihil potuit calamitosius contingere quæ sterilitas. Quid ergo? alienæ afflictiones non sunt per se, sed iuxta personam cui accidunt considerandæ. Quemadmodum enim si quis pauperi uolenter abstulerit instrumenta artificij sui, tantum ei abstulit quantum auferret regi, si ipsum regno suo exueret. Regnum quidem & instrumenta artificij non possunt inter se æquari, at tamen si ea ad personas suas contuleris, profecto quod regi est regnū, hoc artifici sunt artis suæ instrumenta. Ita si afflictiones inter se ipsas contuleris, iudicabis eas maximas, quæ extrinsecus maiorem speciem habent. Si autem contuleris eas ad personas quæ affliguntur, ea sæpe afflictio maxima est, quæ minima apparet. Quare nemo in sua calamitate deridendus est, sed potius opera nostra adiuuandus. Vnde & scriptura non ponit nobis tantum ob oculos hostiles regionum deuastationes, regum e regnis suis eiectiones, & alias calamitates quas iudicamus esse maximas, sed etiam muliebria mala quæ uiris admodum leuia uidentur. Proponit autem nobis ea, ut significet Deum non solū magna, sed & parua respicere, & doceat Deum in omnibus siue magnis siue paruis inuocandum esse. Nam si spiritus sanctus dignatus est ea literis mandare & conseruare, cur non & Dominus Deus noster ea respiceret, & precantem ex fide in tali afflictione exaudiret? Deinde, quæ Naemi nomen suum abominatur, significat afflicto & perturbato animo, oīa, quantumuis alioqui iucunda, abominationem esse. Quare in afflictionibus, querendum est, quō animus pacificetur. Nō potest autem uere pacificari nisi per uerbum Domini, seu promissionē Dei. Quæramus igitur in afflictionibus uerbum Dei, & fidem promissioni eius adhibeamus, ut per fidem iustificati pacem habeamus erga Deum per Dominum nostrum Iesum Christum.

CAPVT II

DIXITQUE RUTH MOABITIS AD SOCRVM SVAM.)

In principio huius capituli alia calamitas Ruth describitur, sed per quam ad felicissimam fortunam & gloriam peruenit. Rogat enim Ruth socrum suam, ut permissu suo ad colligendas spicas in agræ quem piam proficiscatur. Quæ res argumentum est, quæ Ruth in pauperæ ac pæmodū mendicorū ordine uitam duxerit, id quod proculdubio & pe-

reginae & uiduae grauissimum onus fuit. In lege enim Deuter. xxiij. ita scribitur: Quando messueris segetem in agro tuo, & oblitus manipulum reliqueris, non reuerteris ut tollas eum, sed aduenam, pupillum & uiduam auferre patieris. Et ne quis existimet hoc sibi damno esse, si manipulos quosdam reliquerit, addit Lex. Ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni opere manuum tuarum. Nam quod datur pauperi, aduenae, pupillo & uiduae, hoc non hominibus sed Deo datur: scenerat Domino, inquit Salomō, qui largitur pauperi. Quod autem Deo datur, in remuneratorem bene memorem cōfertur. Quid enim non largitur nobis Deus, & immerentibus & nescientibus? Qui ergo fieri posset, ut id non copiose compensaret, quod ipsi ex fide & gratiarum actione reddimus? Cæterum, q̄ Ruth non nisi permissu sororis sue in agros ad colligendas spicas egreditur, exemplum obedientie est, quam uirgines & uiduae maioribus suis debent.

ACCIDIT AVTEM VT AGER ILLE HABERET DOMINVM NOMINE BOAS.)

Ruth uidetur casu quodam diuerti ad agrum Boas, sed si exitum rei consideraueris, inuenies ipsam quodammodo manu Dei in hunc agrum ductam esse. Ac ducit eam Dominus hoc consilio in agrum Boas, ut illic copulet ipsam in matrimonium cum Boas, adeoq̄ liberet eam e miseris suis, & faciet ex ea mulierem clarissimam. Habes itaque exemplum quo comprobatur Dominum Deum nostrum admirabilem esse matrimoniorum copulatorem. Dicit enim Christus: Quos Deus copulauit, homo non separet. Significat ergo Deum esse coniugij copulatorem. Vnde & ex Adamo dormiente & nesciente formatur Eua, & adducitur ipsi nihil tale cogitanti, a Deo. Quare significatur, coniuges a Domino mirabiliter & occultissimis operationibus copulari. Similiter & Salomō ait: Domus & diuitiae hæreditate obueniunt a parentibus, a Domino autem prudens uxor. Hæc multum prodest scire, primum, ut qui coniugium inire uoluerit, non querat raptus, nugas & imposturas, quibus paret sibi uxorem. Sed cum Dominus sit coniugij copulator, sinat etiam Dominum officium suum administrare, & querat iustas & legitimas rationes ducende uxoris. Deinde necessarium quoq̄ est scire coniugium a Domino esse, uaria enim sunt coniugij onera, quæ a coniugibus non possunt patienter ferri, nisi sciant se uersari in eo genere uitæ q̄d Deus ordinauit & benedixit.

DIXITQVE MESSORIBVS DOMINVS VOBIS CVM.)

Describitur officium humanitatis & salutationis, quod eo diligentius obseruandum est, quo plures inueniantur qui partim sentiunt, neminem esse salutandum, allegantes dictū Christi. Neminem per uiam salutandum.

salutaueritis. Hoc genus hominum Anabaptistas uocāt. Partim odio habent proximum, ideo muti eum pretereunt, ne uerbo quidē aut nutu salutem optātes. Quorū illi quidem fanatici sunt, hī aut inuidi. Nā quod Christus dicit: Neminem per uiam salutaueritis, non uetat officia humanitatis, sed commendat Apostolis munus Apostolicū adeo seueriter, ut sciant nihil quantumuis humanum debere eos auocare ab eo officio. Et si amica saluatio impediret eos in munere Apostolico, potius omittenda est saluatio q̄ prädicatio Apostolica. Cæterum si ea nihil impediāt, non solum non licet, sed etiam charitas requirit, ut proximum humaniter salutemus. Qui uero ex inuidia alterum non saluat, hic uiolat legem, non occidas, & fit obnoxius supplicio, quod huius legis uiolatoribus diuinitus decretum est.

ET AIT BOAS AD RUTH, AVDI FILIA, NE VADAS IN AGRVM ALTERVM.)

Vide quantam hominum gratiam pariat gratia Dei. Nam Ruth erat mulier pia, quæ habebat propitium Deum per fidem, & erat in conspectu Dei gratiosa. Efficit igitur Dominus, ut & Ruth, quamuis misera & peregrina, inueniat gratiam hominum etiam alienigenarum, adeoq̄ maiora beneficia ab alienis accipiat, q̄ inter suos ne optare quidem ausa fuisset. Humaniter a domino Boas compellatur, inuitatur ad agrum, iubetur in eo solo spicas colligere, una cum familia sua edere ac bibere, & precipitur familie, ne quis eam molestia afficiat, sed sinant ipsam pro sua uoluntate spicas, ubi uelit, colligere. Hæc sunt proemia, ac quodammodo sponsalia futurarum nuptiarum inter Ruth & Boas, quæ tamen solus Dominus Deus noster intelligit. Nam cū Boas tam diligenter familie sue cōmendat, ne Ruth molestia afficiatur, sed pro sua uoluntate spicas & manipulos colligat, constituit Ruth tanq̄ dominam agri. Si autem fuerit domina huius agri, quid relinquitur, nisi ut sit uxor domini agri? Tanta beneficia nunq̄ contigissent Ruth inter cognatos & sympatriotas suos. Monemur igitur hoc exemplo, ut si fuerimus peregrini, & desyderemus alienorum hominum gratiam, operam demus, quo per fidem habeamus propitium Deum. Tunc enim efficiet Dominus ut longe maiorem gratiam inueniamus apud alienos, q̄ apud nostros propinquos & amicos.

CVI ILLE RESPONDIT, NVNCIATA SVNT MIHI OMNIA QVÆ FECERIS SOCRVI TVÆ.)

Hoc loco commemoratur encomium Ruth. Ac primum commendatur a fide. Plenam inquit Boas mercedem recipias a Domino Deo Israel, ad quem uenisti, ut habeas fiduciam subter alas eius. Alæ Domini sunt potentia, clementia & misericordia Dei. Et hæc alæ expanduntur, quādo Deus manifestat uerbum & promissiones suas.

ac re ipsa declarat potentiam & misericordiam suam. Vnde Deuteronomio xxxij. ita dicitur: Sicut aquila prouocans ad uolandum pullos suos, & super eos uolitans, expandit alas suas & assumpsit eum, & portauit in humeris suis: Ex hac similitudine mutuatur postea spiritus sanctus sæpe numero metaphoram alarum, ut Psalm. xvi. Sub umbra alarum tuarum protege me. Et in alio: In umbra alarum tuarum sperabo donec transeat iniquitas. Et in Luca: Spiritus sanctus superueniet in te, & uirtus altissimi obumbrabit tibi. Cõmendatur igitur hoc loco Ruth, q̄ fiduciam suam habuerit subter alas Domini Dei Israel, hoc est, q̄ fidem adhibuerit uerbo Dei, & promissionibus eius. Vnde supra dixit Ruth ad socrum suam: Populus tuus, populus meus, & Deus tuus Deus meus. Deinde commendatur a fructibus fidei. Quia enim credidit Deo Israel & promissionibus eius, ideo benefecit post mortem uiri socri sui, alioqui duobus nominibus inuisæ, q̄ ludæa, & q̄ socrus, quæ solent odisse nurus. Ad hæc reliquit parentes suos, patriam & populum suum, hoc est, abnegauit idololatriam, reliquit patriam, profectaq; est ad terram Israel. Quare declarat ingentem fidem suam, sicut & Abraham, qui ad uocationem Dei maluit in aliena terra exul cum Deo uiuere, q̄ in patria sua clarus cum idololatria haberi. Sed quid est quod Boas addit: Reddat tibi Dominus pro opere tuo, et plenam mercedem recipias a Domino Deo Israel: An non hæc uerba uidentur merita operum affirmare: Respondeo. Hæc uerba non commendant dignitatem operum nostrorum, sed commendant misericordiam & promissiones Dei. Nam si ad opera nostra respicias, imperfecta sunt, & legi Dei non satisfaciunt, quomodo igitur possent benedictionem mereri: Sed si respicias misericordiam Dei, tunc inuenies rem ita se habere, quod Deus gratis per fidem propter semen Abrahamæ, Iesum Christum, remittat peccata, & largiatur uitam æternam, postea autem fructibus fidei uaria dona, & uarias mercedes promittat ac præstet, non propter ipsorum operum perfectionem, sed propter suam misericordiam, qua credentes in ipsum complectitur. Vnde qui ex fide bona operatur, hic dicitur mereri dona Dei. Hinc & illæ uoces, Deus reddat tibi beneficium tuum, Deus rependat uicem. Deus memor sit beneficij tui in me collati &c. Huc pertinet etiam illud quod Christus ait: Omnis qui reliquerit domos, aut fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ sorcietur hæreditatem. Cuius rei exemplum habes in Ruth, de qua nunc nobis sermo est. Hac reliquit propter nomen Domini patriam, parentes, & omnia quæ habebat in impio populo Moab. Inuenit autem ea plusquam centuplum in hoc sæculo, dum posterius eius facti sunt reges in terra Isra-

Israel, & in futuro sæculo accipit perpetuam foelicitatem, non propter dignitatem operæ, sed propter Christum, cuius ipsa magna auia fuit.

QVAE AIT: INVENIAM GRACIAM CO-
RAM OCVLIS TVIS.)

Ex his uerbis uides unde nobis detur spiritus consolationis in affli-
ctionibus & doloribus nostris, nimirum ex uerbo Domini, quod e
proximi ore audimus. Sunt enim quidam, qui quoties affliguntur, so-
litudinem quærunt & lamentantur, ac expectant de caelo, nescio quos
admirabiles spiritus illapsus. Hic autem uidemus spiritum consola-
tionis illabi in cor Ruth per uerbum Dei, quod de Boas audiuit, con-
solatus es me, inquit, & locutus es ad cor ancillæ tuæ. Quare si in af-
flictionibus egemus consolatione, petenda est e uerbo Domini. Que-
cunq; , inquit Paulus, præscripta sunt, in nostram doctrinam præ-
scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scripturarum spem
habeamus.

ATQVE INDE SVRREXIT VT SPICAS COL-
LIGERET.)

Sollicitudo & diligentia Ruth describitur. Aliæ puellæ ignauæ
sedent post sumptum cibum, & ignauiores laborem capessunt. Hæc
autem mox ut edit, surrexit, & ad laborem rediit.

CVI RESPONDIT NAEMI, BENEDICTVS SIT
A DOMINO.

Ecce quam ignoranter benedicitur, qui benefacit egeno. Cum e-
nim Boas misericordiam erga Ruth præstitisset, commendatur Do-
mino a Naemi, nihil tale suspicans. Nam qui proximo benefacit, eti-
am si uoces beneprecantium aut gratias agentium non audiat, nihilo-
minus tamen, uel ipsum opus ex fide factum ad Deum clamat. Est e-
nim fides tanq; uehiculum quo omnia nostra opera in conspectum
Dei feruntur. Hiob. xxxi. si non benedixerint mihi latera eius &c. In-
terim obseruabis & hoc loco, quomodo mortuis benefaciendum sit:
Dicit enim Naemi de Boas: Quoniam eandem gratiam, quam præ-
buerat uiuis seruauit & mortuis. Hoc enim est benefacere mortuis,
non si Missas defunctorias pro animabus eorum instituas, sed si ami-
cis eorum adhuc uiuentibus benefacias.

CAPVT III.

POSTQVAM AVTEM REVERSA EST AD SO-
CRVM SVAM.)

Quid hoc? Socrus quæsitura nurui suæ maritū eumq; uetulū, unde

prolem suscipiat, ait se ipsi requiem quæsituram: num maritus uetulus & numerosa proles possunt esse requies mulieri adolescentulæ? Sed longe alia ratio est pudicæ & piæ mulieris quæ impudicæ & impie. Impudica enim iuuenem maritum querit, impia nullam prolem exoptat, ne partus dolore & nutritionis labore affligatur. Mulieri igitur sic affecte maritus senex & proles inquietudo potius et afflictio sunt, quæ pax & requies. Ruth autem erat mulier ut pudicissima ita & piissima. Conditio uero pudicitie & pietatis est, non suam libidinem sed uoluntatem Dei sectari. Porro uoluntas Dei est, ut mulier pariat, & scortationem uitet. Creauit enim Deus mulierem ad partum & ad sanctificationem sectandam. Volo, inquit Palus, iuniores uiduas nubere, liberos gignere, domum administrare, nullam occasionem dare ad uersario, ut habeat maledicendi causam. Et iterum, Mulier salua fiet per filiorum generationem si manserit in fide ac dilectione & sanctificatione cum castitate. Igitur Ruth non hoc egit, ut haberet maritum iuuenem, sed ut uocationi suæ obediret, liberos gigneret, castitatem sectaretur, qualis qualis maritus siue senex siue iuuenis contingeret. Ceterum ea demum in hoc sæculo requies est, non ociari, non uoluptates illicitas & ignauiam sectari, sed sue uocationi seruire, suo officio, quantumuis laborioso & molesto defungi. Vnde Dominus Deus noster dicitur septimo die quieuisse, non quia nihil operetur, sed quia creauerit mundum, quem semper administrat, & quo uocationi quodammodo suæ sine intermissione, ut ita dicam, seruiat. Socrus igitur nurrum suam nuptum traditura, apte dicit se requiem ipsi quærere, hoc nimirum agens, ut illa liberos pariat, & cum marito caste uiuat: hæc enim sunt mulieris officia.

LAVARE IGITUR ET CONTEGARIS.)

Commendata est & Naemi & Ruth a pudicitia & pietate, quid igitur uolunt sibi hæc turpia & impudica, quæ hoc loco commemorantur? Anus enim illa Naemi docet Ruth iuuenulam, ut lauet se & induat uestes cultiores, & iubet eam abire ac obseruare lectum uiri Boas, ac sese in lectum eius reclinare. Iuuenula autem obsequitur. Quid hæc aliud sunt, quam impudicarum muliercularum negocia, & turpium uetularum ac lenarum copulationes, quibus iuuenule seducuntur, & impuris scortationibus obijciuntur? Sed tu interim obserua mihi, quod scriptura non commemoret hæc, ut commendet aut doceat nos lenocinium. Nam & alias recenset ebrietatem Nohe, incestum Loth, & scortationem Iudæ, non ut approbet ebrietatem, incestum, & scortationem, sed ut proponendo sanctorum errata, nos prudentiores reddat. Si enim tam sancti uiri in tanta scelera ruerunt, quid nobis mali non accidet, nisi cauerimus? Sic & commemorat hoc loco facta Naemi &

Naemi & Ruth non ut proponat ea imitanda, sed potius ut doceat fugienda. Erant enim hę mulieres alioqui honestissime & pudicissime, & quę hic faciunt, nullo certe impudicitie consilio faciunt. Ac Naemi quidem existimat se hac uia coniugium inter Boas & Ruth opportunissime copulaturam, Ruth autem putat simplici animo sibi hac in parte socru obsequendum esse. Sed si rem probe consideraueris, hoc muliercularum consilium fuit ualde imprudens & temerarium. Non male quidem cessit, diuina clementia, sed quantum attinet ad muliercularum conatum, profecto dederunt occasionem multis periculis, & magnis sceleribus, ac potius, quantum in se fuit, impedierunt nuptias quam adiuuerunt. Quid enim, si Boas ex hoc nocturno Ruth accessu iudicasset ipsam impudicam & odio eam propter impudicitiam reiecisset? Quid, si ebrius concubisset cum ipsa, & postea tanquam scortum repulisset? Nihil quidem tale factum est, sed ipsa huius rei natura, ut tale quid fiat, ferre solet. Quare quantum ad consilium mulierum attinet, coniecerunt sua temeritate se ipsas in maxima pericula stupra, & dedecora. Quod autem nihil tale acciderit, clementie & bonitati Dei adscribendum est, qui muliercularum temeritatem uertit in bonum. Nunquid ergo, quia Deus uertit malum in bonum, malum sectandum est? absit. Quid enim hoc aliud esset, q̄ si quis diceret. Quia Deus remittit peccata & peccatorem misericordia complectitur, ideo peccandum est. Item, Quia medicus ægrotantem sanat ideo ægrotandum est. Quis sic insaniat? Deus enim uertit hominum temeritatem in bonum, non quia approbet temeritatem, sed ut ostendat bonitatis suę exemplum, qua etiam indignos complectitur & seruat. De temeritate enim dicitur: Non tentabis DOMINVM Deum tuum. Et: Qui amat periculum peribit in illo. Ex hac igitur historia nullam habent excusationem temeritatis suę hę puellę, quę coniugio nondum legitime inito cum adolescentibus concumbere solent, dicentes se non inhonesto sed honesto animo concumbere, uidelicet, ut legitimum coniugium ineant. At tu noli teipsum decipere. Temerarius & impudicus est omnis iste concubitus, qui fit coniugio nondum legitime inito & confirmato. Quare si eo concubitu decipiaris & pudicitiam amiseris ac repulsam patiaris, tua culpa, & temeritas est, & iusto Dei iudicio plecteris. Quare enim non sectata es iustam, pudicam & legitimam ineundi coniugij rationem? An nescis coniugium esse opus Dei? & coniuges a Domino dari? Igitur, si is qui placet tibi, a Dño in maritum ordinatus est, profecto non amittes eum, si iustas contrahendi matrimonij rationes secteris, sed eo magis acquires eum, quo magis legitime eum inquiras. Si autem non est tibi in maritum ordinatus, tantum abest, ut clandestina impudicitia ipsum tibi

N

maritum pares, ut potius te omnibus probris exponas, & facultatem
acquirendi honesti mariti tibi ipsi auferas.

ET AIT: BENEDICTA ES A DOMINO.)

Quid? Hęcine benedicta est a Domino, quę noctu ad lectum uiri
nondum coniugis sui diuertit? Sed hic mihi consydera primum ma
gnam honestatem Boas, ac deinde intelliges cur Ruth uocetur bene
dicta a Domino. Principio enim tantę honestatis est Boas, quod
& si concubitus Ruth habebat magnam speciem impudicitię, tamen
non interpretatur iuxta speciem externam, sed iuxta animum Ruth.
Coniecturam autem honesti animi eius sumit tum ex eo, qđ cum socru
sua semper honestissime & pudicissime uixerit, adeo ut & publicum
uirtutis sue testimonium habeat. Ois, inquit, populus scit, qui habitat
intra portas urbis meę, mulierem te esse uirtutis, tum ex eo, qđ sentie
bat ipsam ingenti tremore correptam. Vnde ait: Noli metuere. Time
bat enim Ruth, ne ob hoc factum iudicaretur a Boas impudica, aut
forte ne pudicitiam temere amittat. Denicę ex eo quoqđ conijcit hone
statem animi eius, qđ & si ipsa esset mulier uenustissima, tamen non
sectabatur maritum iuuenem, sed senem prioris mariti propinquum,
ut magis ordinationi legis diuine obediret, qđ suę libidini seruiret.
Boas igitur hanc animi honestatem consyderans, & conferens eam
cum priori honestate qua Ruth socrum sectata fuerat, erumpit in hanc
uocem & ait: Benedicta es a Domino, hoc est, laudo te, & uideo te
multis donis, multis uirtutibus a Domino pręditam esse. Quid?
num laudat ob temeritatem? nequaquam. Sed ob uirtutes honesta
tis quas habebat Ruth. Immane, quantum nos nostris iudicijs ab ho
nestate Boas distemus. Hic enim etiã id quod malam habebat spe
ciem, bene interpretatus est, nos autem non tantum id quod malam,
sed etiã quod optimam & honestissimam speciem habet, in pessi
mam partem interpretari solemus. Hoc aut ipsissimum Satane opus
est, & plane ex diametro cum charitate pugnat. Caritas inquit Pau
lus, non cogitat malũ, omnia credit, omnia sperat. Deinde uide etiã
hac in parte honestatem & uerecundiam Boas, qđ expauescat ad prę
sentiam mulieris, & solus cum sola pudicitiam sanctissime seruat. Nũ
hanc insignem uirtutem cum multis non dicam adolescentibus, sed se
nibus, ac pene decrepitis habeat cõmunem, unusquisqđ secum expen
dere potest. Ille in media inhonestate honestatem seruauit. Nos sæ
penuero in media honestate inhonesti sumus. Postremo obserua
in Boas bene collectam prudentiam. Tamen si enim Ruth arridebat
animo suo legitimam uxorem, & poterat cum ipsa statim matrimo
nium contrahere, tamen non festinat imprudenter, sed prius sta
uit transigere ea negocia quę uidebantur esse coniugij impedi
menta.

menta. Non abnuo, inquit, me propinquum esse, sed est alius me propinquior. Quiesce hac nocte, & facto mane, si te uoluerit propinquitatis iure retinere &c. Hoc exemplo reprehenduntur hi, qui causa nondum explorata, matrimonij capistro nimium præcipites sese alligant, & admonentur, ut non ducant clam uxorem absq; arbitris, sed explorato undiq; negotio, coniugium legitime ineant, ne quid dissidij aut controuersiarum statim inito matrimonio oriatur. Quo enim firmior & durabilior est contractus matrimonij, eo cōtatori & prudentiori consilio ad capescendum ipsum opus erit. Neq; est quod timeas ne tibi sponsa ob pauxillum legitimæ moræ eripiatur: Verissimum enim est quod uulgarî dicto effertur. Cui fortuna fauet, is sponfam abducat. Vxor enim datur a Domino. Vnde & Adamo dormienti creatur & adducitur uxor a Domino, quo significatum est coniuges contingere nobis non nostra electione, sed uoluntate & prouidentia Dei. Quare si quepiam tibi in uxorem a Domino destinata est, nemo eripiet tibi eam, etiamsi aliquantum moræ intercesserit, donec ea que ad coniugium legitime ineundum, expedita fuerint.

SVRREXIT ITAQVE ANTEQVAM HOMINES SE MUTVO.)

Hoc est, quod Paulus monet in priori epistola ad Thessalonicenses capite quinto. uidelicet, ut non solum ab ipso malo, sed etiam ab ipsa specie mali abstinemus. Cum igitur Boas nihil mali perpetrasset cum Ruth, cauet etiam ne quenquam mala specie offendat, & dimittit a se Ruth priusquam illucesceret. Sufficit quidem conscientia pura coram Deo. Non autem coram Deo tantum uiuimus, sed etiam coram hominibus. Proinde etiam hoc requirit Deus a nobis, ut mala specie neminem offendamus. Vnde Paulus ij. Corinth. iij. ait. Comendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum in conspectu Dei. Et ij. Corinth. viij. Procurantes honesta non tantum coram Domino, sed etiam coram hominibus. Huc pertinet etiam uulgarum dictū: Qui abest a crimine furti, debet etiā a specie furādi abstinere.

CAPVT III.

ASCENDIT ERGO BOAS AD PORTAM.)

Quæ Boas se facturum receperat, ea nunc iuxta promissionem suam præstat. Exemplum seruandæ fidei. Nam eiusmodi plerunque sunt hominum mores, ut que clam & remotis arbitris promittant, ea palam postea negent. At hic Boas tantæ est constantis, ut que

N ij

solus soli Ruth pollicitus sit, ea publice multis testibus seruet. Cæterum, portam, ad quam Boas ascendit, domum publici iudicij, quam uocant prætorium aut consistorium, intellige, siue quæ publica iudicia in portis urbium exercebantur, siue quod eiusmodi domus amplas & spaciosas portas habebant. Seniores autem ciuitates ij dicuntur, quos nos senatores uocamus, Græci presbyteros.

PARTEM AGRI FRATRIS NOSTRI VENDET.)

Quæ hic Boas cum propinquo suo coram senatu agit, ex ea lege quæ in Leuitico cap. xxv. scribitur, agit. Sic enim inquit Lex: Si attenuatus frater tuus uendiderit possessiunculam suam, & uoluerit propinquus eius, potest redimere quod ille uendiderat. Scriptura uero hoc exemplum ideo nobis commemorat, ut significet bono & honesto uiro licere uti contractibus ciuilibus iuxta leges ciuiles. Cum enim hæ sint ordinationes diuinæ, consequitur, ijs quoque contractibus quos approbant uti licere.

QUANDO REDEMERIS AGRVM.)

Allegat Boas legem quæ est Deute. xxv. de ducenda mortui fratris uxore. Cæterum, hæ ambæ leges de redemptione bonorum propinqui, & de ducenda uxore propinqui, apud nos abrogatæ sunt. Neque enim agnoscimus Mosen ciuilem nostrum legislatorem & magistratum, & una quæuis Resp. suas habet leges & ordinationes ciuiles, quibus ueluti diuinis ordinationibus obediendum est.

QVI RESPONDIT: NON POSSVM REDIMERE.)

Apparet hunc fuisse uirum modestum ac minime contentiosum. Quia enim noluit incommodum quod familiæ suæ imminere existimabat, si ad priorem quam habebat uxorem, etiam Ruth duceret, pro ipso quoque commodo quod sibi ex redemptione bonorum Elimelech accidere poterat, minime contendit, sed libenter propinquo suo Boas cedit. Auari autem & contentiosi sola commoda sectantur, relicto alijs incommodo, quod quid aliud est quam ne nature quædam ductum ac legem sectari? Natura enim exigit, ut omnia quæcunque uoluerimus ut faciant nobis homines, sic & nos faciamus illis. Nemo autem est qui ab alijs incommoda tantum expectet. Quare nec omnia incommoda in alium transferenda sunt.

HIC AVTEM MOS ANTIQVITVS IN ISRAEL.)

Describitur ritus, quo quis in Israel significabat se iuri suo cedere. Soluebat (inquit) homo calciamentum suum, & dabat propinquo suo. Tale quid apud nos in emptionibus & uenditionibus agrorum est calami aut straminis exhibitio.

TESTES VOS HODIE.)

Peruentum est, uel tandem ad id, propter quod priora omnia diuinitus

nitus

nitus ordinata, & a scriptura commemorata sunt. Ducit enim Boas Ruth in uxorem, idque coram testibus. Exemplum est, quo monemur, ut & in contractibus emptionum, & in contractibus matrimonij nihil clam & inhoneste agamus. Sed quicquid id est rei, legitime coram testibus transigamus. Hæc honestas non iustificat quidem coram Deo, attamen habet alia præmia quæ Deus largitur, uidelicet, quod qui negotia sua legitime transigit, possideat bona sua quiete & sine contentionibus forensibus. Quietam autem & tranquillam uitam uiuere magnum Donum Dei est.

RESPONDIT OMNIS POPVLVS QVI ERAT IN PORTA.)

Qui huius negocij testes sunt, idem etiam nuptijs bene precantur. Duabus igitur de causis matrimonium non clam in angulo, sed publice coram hominibus contrahendum est, Priori, ut hic contractus habeat publicum testimonium, & si ad externam tantum tranquillitatem & honestatem pertinere uideretur, tamen non nihil etiam prodest conscientia in aduersis, quod habeamus nostri negocij publicos testes. Varia enim sunt in matrimonio aduersa quæ sollicitant conscientiam, ut sentiat matrimonium nostrum non esse ex Deo. Ad excutiendam igitur hanc dubitationem, prodest aliqua ex parte sibi ob oculos reuocare testimonium honestorum hominum, qui matrimonium nostrum sua presentia confirmarunt. Posteriori, ut habeamus qui bene optent ac bene precentur nuptijs nostris. Nam cum coniugium sit genus uitæ multis periculis plenum, necessaria est diuina clemētia, qua coniuges in aduersis suis conseruentur. Precationes autem & bonæ optiones hominum nihil aliud sunt quam nunciæ bonæ Dei uoluntatis erga nos. Itaque, si eas fide excipiamus, consequemur quoque fructum & effectum earum per fidem. Unde & Christus ad Apostolos ait: Cū intrabitis domum salutate eam, & siquidem fuerit domus digna, ueniet pax uestra super eam. Quod Christus de salutatione dicit, hoc & de benedictione seu bona optione intelligendum est. Ceterum testes hoc in loco precantur, ut Dominus faciat Ruth sicut Rachel & Lyam, & domus Boas fiat sicut domus seu familia Perez, quem Thamar peperit Iudæ. Qua precatione optant, ut Ruth sit fecunda, & habeat numerosam prolem. Per Rachel enim & Lyam uxores Iacob, multiplicati sunt filij Israel. Per Perez autem filium Thamar restauratum est genus & familia Iudæ. Quæ benedictio hoc tempore maledictio potius reputatur, id quod inde adeo accidit, quia multitudinem liberorum non aspicimus Verbo Domini per fidem, sed aspicimus eam nostris opinionibus per molestias in liberis contingentes. Verbum enim Domini est, Benedixit illis Deus & ait: Crescite & multiplicati

mini & replete terram &c. Et: Vxor tua sicut uitis abundans in lateribus domus tuæ, Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum.

DEDIT ILLI DOMINVS VT CONCIPERET.)

Ex hoc uides liberos esse donum Dei. Dedit (inquit) illi Dominus ut conciperet, non dedit ei maritus ut conciperet, sed Dominus. Vnde cum Rachel ad Iacob diceret: Da mihi liberos, alioqui moriar. Respondit Iacob: Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu uentris tui? Si autem liberi sunt dona Dei, certe non sunt maledictiones sed benedictiones.

SVSCEPTVMQVE NAEMI PVERVM.)

Describitur auia uidue officium. Sic enim docet Paulus i. Timot. v. Si qua uidua liberos aut nepotes habet, discant primum propriam domum pie tractare, & uicem rependere maioribus. Hoc enim est honestum & acceptum coram Deo.

ET VOCAVERVNT NOMEN EIVS OBED.)

עובד Obed Hebræis significat seruum seu agricolam. Inditur ergo hoc nomen filio Ruth fortassis ideo, ut sit monumentum, quod nuptie inter Boas & Ruth in agro inter seruos demetentes segetem copulatae sint, quemadmodum supra scriptum est.

HÆ SVNT GENERATIONES PEREZ.)

Hæc omnia ad uerbum in genealogiam Christi à Matthæo translata sunt, ut sciamus hanc historiam non tam in Dauidem quàm in Iesum Christum respicere, qui ab omnibus Prophetis adnunciatus est saluator & redemptor humani generis, & ut discamus, quam admirabili clementia Dominus abiectos & contemptos in maximam gloriam & maiestatem extollat.

*

FINIS RVTH.

HALAE SVEVORVM.

Anno à salute Christiana

M. D. XLIII.

五

Fol 3319


(X 2710934)

4^o

0

27.10.1







LIBRVM
VMETRVT
MMENTARIL

NE BRENTIO
AVTORE.

SVEVORVM EX
a Petri Brubachij, Anno
M. D. XLIIII.

is commemorantem de Gedeone, de Barac &
thae, nec non David & Samuele, qui per
uerunt regna &c. Heb. 11.

